UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Tyrocinium Theologicum

Francolini, Baldassare

Herbipoli, 1710

urn:nbn:de:hbz:466:1-39295

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 453.

D. I. 42.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# TYROCINIUM THEOLOGICUM,

*Quo traditur*

## Compendiaria Notitia

Theologiæ Scripturalis,
Theologiæ Scholaſticæ,
Theologiæ Polemicæ,
Facultatis Canonicæ,
Theologiæ Moralis, ac
Theologiæ Myſticæ,

*Omnésque harum Diſciplinarum Tractatus, Objecta, Fundamenta præcipua recenſentur:*

ET INSUPER

CONCILIA OECUMENICA,
Pontifices, Patres, Patrum Scripta Genuina, Controverſiæ Fidei, Hæreſes, Propoſitiones damnatæ
*chronologicè proponuntur.*

AUCTORE
BALTHASSARE FRANCOLINO,
Societatis JESU Theologo.

*Juxta Exemplar Romæ editum,* MDCCVI.

Recuſum Herbipoli Typis Joannis Michaëlis Kleyer, Univerſitatis Typographi. M DCC.X.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

*Præpoſitus Generalis Societatis* JESU.

CUm Librum, cui titulus: *Tyrocinium Theologicum*, à Patre Balthaſſare Francolino noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi ità iis, ad quos pertinet, videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 12. Februarii 1706.

*Michaël Angelus Tamburinus.*

*Im-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Imprimatur,*

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Vicesgerens.*

OPus, cui titulus: *Tyrocinium Theologicum*, auctore eximio Patre Balthaſſare Francolino, juſſu Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri à me attentè luſtratum, prælo, & præconio dignum eſſe cenſeo. Fidei ſiquidem orthodoxæ conſonum addiſcentibus commodum, doctísque congruum videtur. Romæ pridiè Kalendas Februarii 1706.

*Fr. Auguſtinus Ceccarelli Sacræ Theologiæ Magiſter Bibl. Angelicæ Cuſtos ſubſtitutus.*

Reve-

REverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri Juſſu Librum, cui titulus: *Tyrocinium Theologicum*, Auctore Rev. admod. Patre Balthaſſare Francolino Societatis Jeſu Theologo accuratè perlegi, in quo nihil prorſus à Fide orthodoxa, moribúsque Chriſtianis averſum, nec diſſonum inveni, quinimò cum ſtylo brevi, claráque facundia cunctas ſacræ Theologiæ dotes, & munera præclarè deſcribat, opus ne dum ad Tyronum ſolatium, ac utilitatem, ſed & ad comodiorem omnium ſacræ Theologiæ quomodolibet Profeſſorum uſum, egregium, quantociùs prælo mandandum, cenſeo. Datum in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 8. Februarii 1706.

*Fr. Jo. Vincentius Caſſelli Ord. Prædic. ſac. Theol. Magiſt.*

---

*Imprimatur*,

Fr. Joannes Baptiſta Carus Magiſter, & Reverendiſs. P. Sacri Apoſt. Pal. Magiſt. Socius, Ord. Prædic.

IN.

# INDEX
## PARTIUM TOTIUS OPERIS.

PARS I. De Theologia Scripturali. pag. 1
§ 1 De numero ſacrorum Librorum, 3
§. 2. Argumenta, Auctores, & Interpretes ſacrorum librorum. 4
§. 3. De ſumma horum Librorum authoritate. 34
§. 4. De variis ſacrorum Librorum editionibus. 37
§. 5. De multiplici Librorum ſacrorum ſenſu. 47
§. 6. De Interpretatione ſacrorum Librorum. 50
PARS II. De Theologia ſpeculativa. 56
§. 1. De ejus antiquitate, & methodo. 56
§ 2. De Locis Theologicis. 60
1. Locus, Scriptura. 61
2. Locus, Traditio Divina. 61. Hic agitur de Traditionibus.
3. Locus, Concilia. 66 Hìc agitur de Conciliis, & recenſentur legitima &c.
4. Locus, Pontificum definitiones 84. Hìc multa circa Pontifices.
5. Locus, Patrum doctrina 131. Hìc SS. Patres, eorúmque ſcripta recenſentur.
6. Locus, Ratio. 149
PARS III. De Theologia Polemica. 153
§. 1. Proponuntur chronologicè Fidei Controverſiæ. 154
§. 2. Ordo Controverſiarum Card. Bellarmini 211
PARS. IV. de Facultate Canonica 157
§. 1. De Decreto Gratiani 158
§. 2. De Decretalibus 159
§. 3. De ſexto Decretalium, & aliis duobus libris 167
§. 4. De horum librorum authoritate, Interpretibus, Allegationibus 169
Pars V. De Theologia Morali 174
PARS VI. De Theologia Myſtica 197

TY-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# TYROCINIUM THEOLOGICUM,

*Quo Theologus Inſtitutor Diſcipulo ſuo tradit compendiariam notitiam Theologiæ Scripturalis, Speculativæ, Polemicæ, Moralis, Myſticæ, & Facultatis Canonicæ.*

## PROOEMIUM.

*Diſc.* CUM Theologicis ſtudiis animum adjicere cogitem, velim priùs edoceri, quid Theologia ſit; quæ hujus diſciplinæ principia, ex quibus ſuas eruit Concluſiones, quæ methodus; quod propoſitum & finis. Puto enim anticipatam hanc totius veluti curſus cognitionem eſſe iis perutilem, qui Theologicum ſtudium ingredi decrevêre.

*Mag.* Perutilis abſque dubio ea eſt, ac ferè dixerim neceſſaria, uti mox intelliges.

*Diſc.* Age igitur, & pro ea benignitate, qua mihi ſemper ſtuduiſti, hunc quæſo laborem ſubire ne graveris.

*Mag.* Nefas ſanè ſit, nolle ei obſequi, qui tam ſapienter poſtulat erudiri. faciam igitur quod petis, & faciam perlibenter. Quin facio jam, & ad illud primùm, quod petebas,

Reſpondeo; Theologiam eſſe facultatem omnium Diſciplinarum nobiliſſimam; utpotè quæ explicat doctrinam Fidei, & circa

ca eam diſcurrit, tùm ad inſtruendos Fideles circa ea, quæ credi debent, tùm ad revincendos Infideles, & Hæreticos, tùm denique ad Fidelium mores dirigendos.

Hinc alia eſt Theologia ſcripturalis, quæ varios ſacræ Scripturæ ſenſus explicat, ac doctrinam Fidei, & morum in eis contentam exponit.

Alia eſt Theologia Scholaſtica, quæ prædictam doctrinam Fidei ex Scripturis, Conciliis, & Patribus eruit, multáque ex his partim evidenter, partim probabiliter infert.

Alia eſt Theologia Polemica, ſeu controverſa, quæ Infidelium, & hæreticorum errores refellit.

Alia eſt Facultas Canonica, quæ Canones, nempè Leges Conciliorum, & Romanorum Pontificum reſponſa ad Eccleſiaſticam œconomiam, & diſciplinam ſpectantia ordinatè proponit, explicat, & interpretatur.

Alia eſt Theologia Moralis, quæ Mandatorum Divinorum, & humanorum obligationes proponit, & quæſtionibus, quas caſus conſcientiæ appellamus, reſpondet.

Alia demùm eſt Theologia Myſtica, ſive affectiva, quæ hominem non ſuæ ſolùm utcúmque ſalutis, ſed Evangelicæ perfectionis cupidum, inſtruit, ejúſque affectus in Deum dirigit, & movet. Nunc de ſingulis agendum.

TY-

# TYROCINII THEOLOGICI
## PARS I.

*In qua agitur de Theologia Scripturali.*

1. UT incipiam à prima, audiviſti non ſemel, Scripturas Sacras dividi in vetus, & novum Teſtamentum. Sic vocantur, quia continent legem veterem Moſaicam, & novam Evangelicam. Lex enim Divina dicta fuit ab ipſo Deo Teſtamentum; hinc David Pſal. 102. v. 18. *Et juſtitia illius in filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus:* nempe ut ſubdit velut explicans quod dixerat, *& memores ſunt mandatorum ipſius.* Dicta autem fuit utraque lex teſtamentum, quia Deus utramque

 legem

legem condens pactum quoddam teſtamentarium cum homine iniit faciendi illum Cæleſtium bonorum hæredem, ſi ſuam legem obſervet; utque obligationem homini impoſuit obſervandi ſuam legem, ſic obligationem ipſe ſuſcepit ei largiendi promiſſam hæreditatem, ſi ſuæ legi paruerit. Hinc lex Divina tam ſæpe dicitur pactum in Scripturis. Quia vero teſtamentum eſt pactum transferendi hæreditatem poſt mortem diſponentis, adeoque morte confirmandum; ideo voluit Deus hanc ſuam teſtamentariam diſpoſitionem confirmare morte, & ſanguine filii ſui, cujus figura erant victimæ in lege veteri Deo immolatæ; quod ſignificavit Apoſtolus ſcribens ad Hebr. c. 9. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris; teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt; unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.*

2. Quam-

2. Quamvis autem in Scripturis multa contineantur præter legem, volumen tamen ipſarum lex vetus, & nova dicitur, quia quidquid eſt in Scripturis vel eſt lex ipſa Divina, vel aliquid ad ejus obſervationem conducens.

## §. I.

### *De numero Sacrorum Librorum.*

3. LIbri veteris Teſtamenti ſunt 45. nimirum Pentateuchus, ſeu quinque libri Moyſis, qui ſunt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium: tum liber Joſue, liber Judicum, liber Rhuth; quatuor libri Regum, duo Paralippomenon, Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemias; Tobias: Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum 150. pſalmorum; Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetæ minores, ſcilicet Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophoni-

as, Aggæus, Zacharias, Malachias, Machabæorum primus, & ſecundus.

4. Libri novi Teſtamenti ſunt 27. Quatuor Evangelia, Acta Apoſtolorum, quatuordecim Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli, nempe una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos; S. Petri Apoſtoli duæ, S. Joannis Apoſtoli tres, S. Jacobi Apoſtoli una, S. Judæ Apoſtoli una; & S. Joannis Apoſtoli Apocalypſis.

## §. II.

### *Argumenta, Auctores, & Interpretes Sacrorum Librorum.*

### *DE PENTATEUCHO.*

5. IN Geneſi Moyſes narrat creationem Mundi, & geſta Adami, Evæ, Noë, Abrahæ, Iſaac, Jacob, & aliorum uſque ad mortem Joſeph.

In Exodo perſecutionem Pharaonis,

nis, indéque decem plagas Ægypti, egreſſum Hebræorum ex Ægypto, & peregrinationem per Deſertum, ubi in Sina Decalogum, cæterasque leges à Deo acceperunt.

In Levitico deſcribuntur ſacra, & ſacrificia, cibi vetiti, feſta, aliíque ritus, luſtrationes, & cæremoniæ tam Populi, quam Sacerdotum, & Levitarum.

In Numeris numerantur Populus, Principes, & Levitæ; item quadraginta duæ manſiones Hebræorum; horumque, ac Dei geſta in Deſerto recenſentur; inſuper affertur prophetia Baalam, ac deſcribitur bellum Hebræorum cum Madianitis.

In Deut. ſive ſecunda lege repetuntur, & inculcantur Hebræis, leges antea in Exodo, Levitico, & Numeris à Deo datæ.

6. Hic adverte cum Cornel. à Lapide Moſen Pentateuchum ſimpliciter conſcripſiſſe per modum Diarii, vel Annalium; Joſue tamen, vel alium ſimilem eosdem hos Moſis an-

nales in ordinem digeſſiſſe, & ſententias nonnullas addidiſſe: ſic enim in fine Deuteronomii mors Moyſis, eo utique mortuo, à Joſue, vel alio quopiam additur, & deſcribitur. Sic non à Moſe, ſed ab alio, ut videtur, laus manſuetudinis Moſis intertexta eſt Numer. 12. v. 3. Porro Moſes hæc partim traditione, partim Divinâ revelatione, partim oculari inſpectione didicit, & accepit; omniaque Divino inſtinctu conſcripſit.

7. Scripſerunt in Geneſ. Origenes, S. Hieron. S. Aug. Theod. Procopius, Chryſ. Eucher. Rup. S. Baſil. S. Ambr. Albinus Flaccus, Anaſtaſius Sinaita, Lyr. Toſt. Hugo, Chart. Inter recentiores excellit Pererius, & Corn. à Lap.

8. Scripſere in Levit. Orig. Iſichius, S. Cyrill. Radulphus Monach. Petrus Serranus, Cornel. à Lap. qui & reliquos Pentateuchi libros exponit.

### *De Libro Joſue.*

9. IN libro Joſue geſta Joſue deſcribuntur, ut videlicet ille Chana-

næam bello ſubegit, illamque duodecim Tribubus diviſit, Rempubl. Iſraëlis in eâdem conſtituit, eamque tam in pace, quàm in bello prudentiſſimè gubernavit, Diaria hæc ab ipſo Joſue primitùs fuere conſcripta, quidquid alii contradicant. Eorum verò collector nonnulla addidit, nempè ejus mortem, & quæ poſt ejus mortem contigêre, uti ſunt ea, quæ cap. 15. de Axa filia Caleb, & cap. 19. de filiis Dan narrantur.

10. Scripsêre in Joſue Orig. Theodor. Procopius, S. Auguſtinus, Rupertus, Lyranus, Hugo Card. Dionyſius Carthuſ. Cajetanus. Fusè & exactè Alphonſus Toſtatus Epiſc. Abulenſis, elegantiſſimè Arias Montanus, copiosè Coſmas Magallianus, doctè, & reconditè Nicolaus Serarius, accuratè Jacobus Bonſerius, eruditè Cornel. à Lap.

## *De Lib. Judicum, & de Lib. Ruth.*

11 LIber Judicum horum geſta proſequitur. Judices autem He-

bræorum ii dicti fuêre, qui eum populum ingreſſum in Palæſtinam à vicinarum Gentium inſultu, & jugo liberarunt, eique in judiciis præfuêre, præfecturâ fere Monarchica: unicus enim Judex erat, & in ſolis cauſis difficilioribus ſententiam ſupremi Concilii, quod Sanhedrim dicebatur, exquirere, ejusque decretis ſtare debebat, regiam tamen poteſtatem non habebat. Quare nec leges condere poterat, nec diademate, aut ſceptro utebatur, nec ſatellitio cuſtodiebatur. Non ungebatur, nec hæreditario jure ſuccedebat, ſed electione Dei vel Populi creabatur. Electus per omnem vitam manebat Judex: jus demum vitæ, & necis non habebat, ſed reos juxta legem morti adjudicabat, aut aliter plectebat. Fuêre quindecim, nempe Othoniel, Aod, Samgar, Baruch cum Debora, Gedeon, Abimelec, Thola, Jair, Jepthe, Abeſan, Ahiola, Abdon, Sampſon, Heli, Samuel, poſt quem Populus Regem petiit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

petiit. Is Judicum Magiſtratus manſit annis 356. In hoc tamen libro duorum ultimorum, nempe Heli, & Samuelis acta non narrantur, ſed in *lib. 1. Reg.*

12. Quis hunc librum conſcripſerit, incertum eſt. Veriſimile eſt Eſdram, vel Prophetam aliquem poſteriorem, aut potius Samuelem ex antiquis Diariis, & Annalibus, quæ Judex quiſque, aut alius ejus tempore, conſcribebat, collegiſſe, & in hunc librum redegiſſe.

13. In librum Judicum ſcripsêre Orig. S. Aug. Theod. Procop. Iſidor. Hugo de S. Vict. Lyran. Hugo Card. Dion. Chart. Abul. Cajet. Arias Montanus, Serarius, Magalianes, Bonfrerius, Corn. à Lap.

14. Liber. Ruth continet Genealogiam Judæ Patriarchæ à Phares filio ejus uſque Davidem; eſt autem appendix libri Judicum: Ruth enim hiſtoria contigit ſub Judicibus, eſtque præludium, & veluti manuductio ad librum primum Regum, in quo geſta Davidis deſcribuntur.

 15. Au-

15. Auctor libri eſt incertus: à nonnullis enim cenſetur fuiſſe Ezechias Rex, ab aliis Eſdras, à pluribus verò Samuel, idque veriſimilius eſt. Scripſerunt in Ruth Rupertus, Abul. Lyran. Hugo, Dionyſ. Cajet. Serarius, Corn. à Lapide, & cum ingenti laude Fevaxdentius.

## *De Libris Regum, & Paralippomenon.*

16 His quatuor libris Regum continetur hiſtoria regni Hebraici. Duo priores libri complectuntur tempus, quo, poſt judices Heli, & Samuelem, præfuerunt Iſraëli cum poteſtate regia Saul, & David. Duo poſteriores enarrant acta Salomonis, ejusque Filiorum, & nepotum uſque ad ultimum Regem Sedeciam. Item geſta Jeroboam, & poſteriorum ejus, qui ſchiſma facientes à Roboam, & Juda regnarunt in Iſraële, ideſt in decem tribubus usque ad ultimum Regem Oſeam.

17. Primum Regum librum Scri-
pſit

pſit Samuel uſque ad mortem ſuam: Ejus verò mortem, & geſta poſt ipſam usque ad finem libri ſecundi ſcripſit David, aut potiùs Nathan, & Gad Prophetæ, qui David erant à ſecretis, & commentariis, ut ejus acta, & veluti Ephemerides conſcriberent. Duos poſteriores regum libros uſque ad Hieroſolymæ excidium ex priſcis ſingulorum Regum Annalibus ſcripſit partim Iſaias, partim Jeremias, partim Eſdras. Prædicta Diaria, ſeu Annales vocantur in Scriptura liber verborum, ideſt factorum deſcriptorum.

18. Libris regum attexuntur duo libri Paralippomenon, ideſt relictorum, ſeu reſiduorum, quia hi ſupplent ea, quæ in libris Regum de Regibus Juda prætermiſſa ſunt, nam geſta regum Iſraël vix tanguntur in libris Regum Auctor Paralippomenon fuit probabilitèr Eſdras.

19. In libros regum Scripſerunt



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lyran. Hugo, Dion. Abulen. Cajetan. & Vatabl. noviſſimè Franciſcus Mendoza, Caſpar, Sanchez, Nicolaus Serarius. Cornel. à Lap. qui ſcripſit etiam in lib. Paralipp.

## *De Duobus Libris Eſdræ.*

20. AUctor libri primi eſt Eſdras ipſe, ſecundi verò eſt Nehemias; Dicitur autem Eſdræ etiam hic, partim, quòd continet ea, quæ ſimul ab Eſdra, & Nehemia geſta ſunt, partim quòd olim apud Hebræos, & Græcos uterque hic liber unus erat. Fuit autem Eſdras Sacerdos, Propheta, Scriba, Doctor, & totius Sacræ Scripturæ deperditæ in vaſtitate Babylonica, ex memoria dictator, & reſtaurator, vel potius vitiatæ corrector. Nehemias verò fuit Sacerdos, & Artaxerxis Perſarum Regis Pincerna. Is reducem è captivitate populum numeravit, ac Templi, & murorum reſtaurationem conſignavit, & perfecit.

21. Liber Eſdræ continet ea, quæ circa prædictam populi liberationem contigerunt ab anno primo monarchiæ Cyri usque ad annum ſeptimum Artaxerxis Regis, quo Eſdras è Babylone cum aliis Sacerdotibus, & Levitis rediit in Hieruſalem, quod eſt ſpatium 73. annorum. Liber vero Nehemiæ continet reædificationem Urbis Hieroſolymæ, aliaque ab anno 7. uſque ad annum 22. ejuſdem Artaxerxis.

Scripſit in hos lib. Lyran. Dion. Vatab. Marian. Corn. à Lap.

22. Tertius, & quartus liber Eſdræ Apocryphi ſunt. Vide Corn. à Lap. de utriusque auctoritate non quidem canonica, non tamen contemnenda hic diſſerentem. Is liber tertius Eſdræ narrat eadem, quæ narrata ſunt libro primo, & ſecundo, ſed quæ ibi breviter dicta ſunt, fuſiùs hic recenſentur, ac nonnulla ibi omiſſa adduntur. Liber verò quartus continet varia documenta, miras viſiones

& prophetias præſertim eorum quæ contingent in fine Mundi, & eſt ſimilis libro Apocalypſis. Auctor utriusque aut eſt Eſdras, aut alius Eſdræ perſonam referens.

## *De Libris Tobiæ, Judith, Eſther, & Job.*

23. LIber Tobiæ deſcribit vitam, geſta, & mores utriusque Tobiæ. Auctor primæ partis libri fuit pater, auctor ſecundæ partis filius. Contigit hæc hiſtoria ſub Ezechia & Manaſſe. Scripſere in hunc librum S. Ambr. Beda, Hugo, Lyran. Vatabl. Cornel. à Lap.

24. Argumentum libri Judith eſt ejus victoria de Holoferne, & Aſſyriis. Contigit hæc hiſtoria probabilitèr non ante captivitatem Babylonicam, ſub Manaſſe Rege Juda, ut non pauci dicunt, ſed poſtea ſub Xerxe, ut latè Corn. à Lap. Scripſit in Judith Serarius, Genebr. Pererius, Cornelius à Lap.

25 Argumentum libri Eſther eſt humiliatio ſuperborum in perſonâ Vaſthi, & Aman, & exaltatio humilium in perſona Eſther, & Mardochæi, ac liberatio injuſtè oppreſſorum in perſona Judæorum. Eodem tempore, quo vixere Eſther, & Mardochæus, floruerunt Eſdras, Nehemias, Daniel, Zorobabel, Jeſus filius Joſedech, Aggæus, Malachias Zacharias &c. Auctor libri Eſther fuit, ut creditur ipſe Mardochæus cum Eſther. Scripſere in hunc lib. Lyran. Hugo. Dion. Serarius, Sanchez, Fevaxdentius, Cornel. à Lap.

26. Argumentum libri Job eſt exemplum inſigne patientiæ Job, & providentiæ Divinæ circa ipſum, reliquoſque juſtos quos tentari permittit Deus, ut probet, & coronet. Hujus lib. auctor cenſetur Moſes à Card. Bellarm. aliiſque, ſed ab aliis ipſe Job qui natus dicitur anno Mundi 2230. Scripſerunt in Job præter antiquos, Salmeron, Pineda, Gaſp. Sanctius &c.

*De*

## *De Libro Pſalmorum.*

27. IS liber continet laudes Dei, ejusq; legis, & viri juſti & Sancti; ſed præſertim Chriſti Domini, qui eſt præcipuum libri argumentum. Omnes 150. Pſalmi quibus is liber conſtat, ſunt ipſius Davidis juxta probabiliorem ſententiam. Vide Lorinum in præfat. cap. 2. Innumeri ſunt eorum Interpretes. Eminet S. Aug. inter antiquos, inter recentiores, Lorinus, & Bellarm.

## *De Libris Salomonis.*

28. SAlomon (inquit S. Hieron. in comment. in Eccleſiaſten) *tria volumina edidit, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. In Proverbiis parvulum docens, & quaſi de officiis per ſententias erudiens, unde & ad filium ejus ſermo crebrò repetitur. In Eccleſiaſte verò maturæ virum ætatis inſtituens, ne quidquam in Mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca, & brevia univerſa, quæ cernimus. Ad extremum*

*mum jam conſummatum virum & calcato ſæculo præparatum, in Cantico Canticorum ſponſi jungit amplexibus.*

29. In Proverbia Salomonis ſcripſere multi recentiores Oſorius, Peltanus, Fontius, Nannus, Sixtus Sen. Sidonius Scarga, Baynus, Arboreus, Cornel. Janſen. Poſt omnes, & præ omnibus fusè & erudite Ferdinandus à Salazar, & Corn. à Lap.

30. In Eccleſiaſten ſcripſere Greg. Nazianz. Greg. Nyſſ. Hieron. &c. Hugo Victor. S. Bonav. Lyr. Carth. Cajet. Titelmanus, Oſor. Vatabl. Lorinus, Pineda, Corn. à Lap.

31. In Cantica ſcripſere Orig. Nyſſ. Philo Carpath. Theodoret. Beda, aliique multi. Noviſſimè, & exactiſſimè Martin. Delrio, Michaël Giſlerius, Ludov. Sotomajor, Corn. à Lap.

### *De Libris Sapientiæ, & Eccleſiaſtici.*

32. Liber ſapientiæ tractat de vera ſapientia non tam ſpeculativa, quam

quàm practica, quæ ſcilicet eſt ratio agendorum ſecundùm Deum, ac proinde non eſt aliud, quàm Dei cognitio conjuncta cum ejus timore, religione, & cultu. Hujus ergo originem, mores, opera, affectus, & præmia is liber exponit. Eſt autem incertum, quis hujus libri auctor fuerit, an Salomon, ut dixit Sixtus Sen. an Jeſus Sirach, ut putat S. Iſidor. & Theodoret. an Philo ſenior, qui vixit annis 160. ante Chriſtum, ut putant alii multi, an unus ex 72. Interpretibus, vel alius Rabbinus illius ætatis, ut cenſere videtur Corn. à Lap.

33. In ſapientiam ſcripſere S. Bonav. Lyran. Hugo. Dion. Carth. Robertus Holcot, Petrus de Alliaco, Oſor. Vatabl. Cornel. Janſen. Cornel. à Lap. & alii.

34. Liber Eccleſiaſtici brevibus ſententiis docet omnem moralem Philoſophiam uberiùs, quàm liber Proverb. Salomonis: agit enim de virtutibus non tantùm ethicis, quæ perſo-

perſonam cujusque concernunt, & perficiunt, ſed æconomicis, quæ ad familiam, & politicis, quæ ad Remp. gubernandam vel utiles ſunt, vel neceſſariæ.

35. Auctor hujus libri à multis creditur Salomon, ſed Cornel. à Lap. fusè probat eum fuiſſe Jeſum filium Sirach civem Jeroſol. virum eximiè ſapientem, & prophetam, qui floruit paulò poſt Alexandrum Magnum tempore Ptolomæi Philadelphi, & 72. Interpretum. Scripſit in hunc lib. ut in reliquam Scripturam Rabanus Maurus ſub. Lud. Pio, ex cujus Rabani ſcriptis Gloſſam ordinariam contexuit Strabus Fuldenſis Monachus ejus diſcipulus. Scripſerê etiam Lyr. Hugo, Dionyſ. Gorram, Holcot, Paulus de Palacio, Jorius, Boſſæus Cornel. Janſ. & à Lap.

## *De Libris Prophetarum majorum.*

36. Dicuntur Prophetæ majores qui ſinguli ſuos ſcripſerê libros

bros integros, minores autem, quorum prophetiæ ſimul unico libro apud Hebræos continentur.

Primus majorum Prophetarum eſt Iſaias, cujus Prophetia eſt de adventu Chriſti, de nativitate ejus ex Virgine, de vita, de prædicatione, de Regno, de miraculis, de ſepultura. Item de vocatione Gentium, de gloria, Eccleſiæ. Scripſit in Iſaiam Origenes triginta volumina, & 25. homilias, quarum novem tantùm extant. Scripſerê etiam S. Hieron. (ut in reliquos prophetas cum maxima laude) Rupertus, aliique veteres. E recentioribus Leo Caſtrius, Oſorius, Arias Montanus, Caſpar Sanchez, Delrio, Cornel. à Lap.

37. Secundus eſt Hieremias, qui hortatur populum, ejusque principes ad pœnitentiam: prædicit etiam imminentem ruinam Hieroſolymæ, Templi Domini, & totius Regni: Multa etiam de adventu Chriſti, de Teſtamento novo, deque aliis

Chriſtia-

Chriſtianis myſteriis apertiſſimè. Addit ad finem libri Threnos, id eſt Lamentationes carmine ſcriptas ordine alphabetico, quibus deplorat ærumnas gentis ſuæ, epiſtolam quoque ad populum captivum in Babylone, quâ eum hortatur, ut in fide perſiſtat. Hanc epiſtolam poſuit Baruch in extremo libro ſuo.

38. Fuit autem Baruch miniſter, & amanuenſis Hieremiæ, & præter ea, quæ ſcripſit, Hieremia dictante, ſcripſit proprium volumen quinque capitum, in quibus prædicit apertiſſimè Divinam Incarnationem.

39. Scripſerunt in Hieremiam S. Hieron. Raban. Theodor. Rupertus, S. Thom. Lyran. Hugo, Dion. Vatabl. Andreas Capilla, & noviſſimè, exactiſſiméque Chriſtophorus à Caſtro, Joan. Maldonatus, Caſpar Sanchez, Cornelius à Lap.

40. Tertius eſt Ezechiel, qui prædicit liberationem ſui populi à captivitate, adventum Chriſti Domini,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aliaque ejus myſteria, & ſtructuram Templi; ſed obſcurè. Scripſerunt in Ezech. S. Hieron. S. Greg. Lyran. Hugo, Dionyſ. Vatabl. Hector Pintus, Petrus, Serranus, Cornel. à Lap.

41. Quartus, & ultimus eſt Daniel, qui ſcripſit multa de Chriſto, & de tempore adventûs ejus, nec non de morte ejus, & de excæcatione Judæorum: item de Antichriſto, & præliis ejus. Prædixit progreſſum quatuor præcipuorum Regnorum, & de bellis futuris inter Græcos, & Perſas, & inter ſucceſſores Alexandri Magni tam perſpicuè, ut ejus prophetia rerum hiſtoria videatur.

Scripſerunt in Danielem S. Hieron. Lyran. Dion. Carth. Vatabl. Pererius, Maldon. Pintus, Cornel. à Lap.

*De*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## *De Prophetis minoribus.*

DUodecim hi ſunt, quorum primus Oſeas prædixit captivitatem decem Tribuum, & deinde captivitatem etiam aliarum duarum.

42. Joel ſecundus prædicit duabus Tribubus, quibus Propheta datus erat à Deo, Babylonicam captivitatem; & in extremo vaticinio prædicit adventum Meſſiæ, & Spiritûs Sancti in Apoſtolos, & ultimum Judicii diem.

43. Amos tertius, prædixit & ipſe captivitatem, & alia gravia flagella, & graviſſimè in ſcelera invectus eſt.

44. Abdias quartus prophetavit contra Idumæos, & non ſolùm prædixit eorum exitium, ſed etiam cauſam exitii, quia videlicet tempore captivitatis Babylonicæ futuri eſſent ſocii Chaldæorum contra filios Iſraël.

45. Jonas quintus prophetavit contra Ninivitas, & quamvis agentibus

tibus illis pœnitentiam Deus tunc pepercerit, tamen poſtea reverſis ad iniquitatem Deus exitium immiſit, quod Jonas prædixit, ut dicitur in lib. Tobiæ cap. 14.

46. Michæas ſextus prædixit primam captivitatem decem Tribuum, & ſecundam duarum Tribuum. Prædicit etiam adventum Chriſti, & nativitatem in Bethlehem, & converſionem Gentium.

47. Nahum ſeptimus prædicit exitium Regis Aſſyriorum, & vaſtationem Ninive per Chaldæos, nec hos prævalituros contra Hieruſalem, ſicut prævaluerant contra Samariam.

48. Habacuc octavus, & diverſus ab eo, qui attulit prandium Danieli, prædicit adventum Chaldæorum, & Babylonicam captivitatem, & vaſtationem eorundem Chaldæorum, quæ facta eſt per Medos, & Perſas, & tandem prædicit adventum Chriſti, paſſionem, reſurrectionem,

nem, & ſecundum adventum in gloria.

49. Sophonias nonus prædicit excidium Palæſtinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, & aliarum Gentium: prædicit etiam converſionem Gentium, & ruinam Idololatriæ. Denique prædicit Chriſti reſurrectionem; Judæorum excæcationem & exitium ultimum, tandem Eccleſiæ gloriam, & felicitatem.

50. Aggæus decimus hortatur Populum ad reædificationem Templi quod dicit fore multò glorioſius quàm primum: ſubintelligit enim Eccleſiam Chriſti.

51. Zacharias undecimus ſimiliter hortatur ad ædificationem Templi, & ad timorem Domini &c. Prædicit quoque multa per varias ſimilitudines de felicitate Eccleſiæ Chriſtianæ, & ultimâ Judæorum ruinâ.

52. Malachias ultimus prædicit abolitionem Sacrificiorum Judaicorum

rum, & inſtitutionem Sacrificii novi in toto orbe offerendi. Prædicit quoque ultimum judicium, & converſionem præcedentem Judæorum per Eliam. Invehitur vehementer in negligentiam Sacerdotum, & in alia vitia.

53. Scripſerunt in Prophetas minores S. Hieron. Cyrill. Theod. Theoph. Rabanus, Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionyſius, & noviſſimè, exactiſſiméque Chriſtoph. à Caſtro, Gaſpar Sanchez, Franciſcus Ribera, & Cornel. à Lapide. Breviſſimè Emanuel Sà, & Joannes Mariana, qui duo univerſam Scripturam expoſuêre.

*De Libris Machabæorum.*

54. SCOPUS libri primi, & ſecundi (qui ſoli ſunt Canonici) eſt conſcribere geſta, & prælia Judæ, Jonathæ, & Simonis fratrum Machabæorum contra Antiochum, alióſque Hebræorum hoſtes per annos circiter 60. Continuatur autem in illis hi-

hiſtoria Populi Dei. Eſdras enim deſinit in Jeddoa, ſive Jaddo Pontifice, qui occurrit Alexandro magno à quo liber primus incipit, & hiſtoriam Iſraëlis proſequitur per ſucceſſores Alexandri, nempe Reges Aſiæ, & Reges Ægypti, qui cum Judæis nunc fæderati fuêre, nunc geſsêre bella cruenta, in quibus enituit Machabæorum fortitudo, nempe Judæ, qui omnium primus dictus fuit Machabæus, id eſt extinctor, ſeu occiſor; inde ſic appellati etiam Jonathas, & Simon, eorúmque poſteri. Fuerunt autem Judas, ejúsque fratres, & poſteri electi à Populo, & conſtituti duces, aut principes, non autem Reges.

55. Probabile eſt primum librum ſcriptum fuiſſe à Joanne Hircano filio Simonis fratris Judæ Machabæi, qui patri Simoni in principatum æquè, ac Pontificatum ſucceſſit.

56. Secundi libri hiſtoria fusè à Jaſone Cyrenenſi quinque libris con-

ſcripta fuit, quam in Epitomen contraxit, & librum ſecundum confecit primarius Sacerdos. Ita Cornel. à Lap. Certè fuit diverſus ab auctore primi; narrat enim acta Judæ alio modo, quàm narrata ſint libro primo, nec unquam libri primi meminit.

57. Liber tertius non eſt canonicus: Habet tamen (inquit prædictus Corn.) majorem auctoritatem, quàm Livius, Curtius &c. Hic propriè non tractat geſta Machabæorum, ſed ea, quæ triginta annis ante eos contigerunt; Geſta videlicet ab Antiocho magno, qui fuit pater Antiochi Epiphanis, cum quo Machabæi decertârunt: Quare ordine chronologico eſſet ponendus ante librum primum Machabæorum.

58. Quartus liber, nec ipſe Canonicus, continet hiſtoriam unius & triginta annorum, hoc eſt, geſta prædicti Joañis Hircani ex Machabæis principibus ordine quarti, quique fuit non

non ſolùm principatu, ſed etiam prophetiâ, & rebus geſtis clariſſimus, mortuúſque fuit anno ante Chriſti ortum centeſimo.

59. Et quia is eſt finis hiſtoriæ Sacræ, accipe ejus ſeriem & ordinem. In libris Moſis deſcribitur origo Eccleſiæ Dei. In libris Joſue, & Judicum ejus propagatio, progreſſus ſub Regibus in libris Reg. & Paralipp. in quibus etiam recenſentur, quæ paſſa eſt ſub prima Monarchia, nempe Aſſyriorum, & Chaldæorum. Deinde in Eſdra, Nehemia, Tobia, Judith, Eſther commemorantur ea quæ eidem Eccleſiæ contigêre in ſecunda Monarchia, nempe Cyri, & Regum Perſarum. Tandem in libris Machabæorum narrantur ea, quæ eidem acciderunt in tertia Monarchia Græcorum.

### *Argumenta, & Auctores librorum Teſtamenti Novi.*

NIhil dicam de Evangeliis, quorum

rum argumentum, auctoréſque nô-
runt omnes; Interpretes autem ſunt
innumeri.

60. Liber Actuum Apoſtolorum
deſcribit infantiam Eccleſiæ, nempe
ejus fundationem in Judæâ, & Sa-
mariâ. Mox propagationem Evan-
gelii per Syriam, Lycaoniam, Pam-
phyliam, Græciam, aliáſque gentes,
operâ Apoſtolorum, & præſertim S.
Pauli factam. Ejus Auctor fuit S.
Lucas Medicus Antiochenus; inde
Pauli diſcipulus.

61. Epiſtolæ S. Pauli duplex ob-
jectum ſpectant (inquit Corn. à
Lap.) doctrinam ſcilicet, & mores
Chriſtianos. Quibuſdam Chriſtia-
nos quoſdam Judaizantes impug-
nat, eorúmque opera, nempe cære-
monias Judaicas. Id facit Epiſtolis
ad Romanos, ad Galatas, ad Philip-
penſes, ad Hebræos. Aliis hæreſes
naſcentes perſtringit, nempe Simo-
nis Magi cum ſua ſobole, id eſt, Me-
nandri, Saturni, Baſilidis, Gnoſti-
corum,

corum, Carpocratis &c. Id facit epiſtolis ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Timotheum. Reliquis privatim eos, ad quos ſcribit, inſtruit; eorum dubia reſolvit; eóſque in fide, & officio chriſtiano confirmat, & perficit. Id facit epiſtolis ad Corinth. ad Theſſ. ad Timot. ad Tit. ad Philem.

62. Ordo autem temporum, quibus ſcriptæ ſunt hæ epiſtolæ, hic eſt. Primò ſcripta eſt epiſtola prior ad Theſſalon. Corinthi Anno Chriſti 52. Secundò poſterior ad Theſſal. pariter Corinthi Anno 53. Tertiò prior ad Cor. ſcripta eſt Epheſi anno 57. Quartò Prior ad Timoth. in Macedonia, vel potiùs Laodiceæ an 57. Quintò ſecunda ad Cor. ſcripta Nicopoli an. 58. Sextò ad Galat. an. 58. Septimò ad Rom. ſcripta Cenchris apud Corinthum an. 58. Octavò epiſtola ad Tit. in Græciâ an. 58. Nonò ſecunda ad Timoth. Romæ an. 59. Decimò epiſtola ad Epheſ. Romæ an. 59. Undecimò ad Philippenſ. Romæ an. 60.

60. Duodecimò ad Coloſſ. Romæ ann. 60. Decimo tertiò ad Philem an. 60. Decimo quartò ad Heb. Romæ ann. 60.

63. Reliquæ ſeptem epiſtolæ vocantur Catholicæ, id eſt non privatæ, ſeu ad perſonam privatam ſcriptæ, ſed univerſales, & ad univerſam Eccleſiam directæ.

64. S. Petrus totus eſt in Sanctitate Chriſtiana, S. Joannes in Charitate, S. Jacobus in Oratione, S. Judas in Fide Orthodoxa commendanda.

65. Apocalypſis argumentum varium affertur, út varia eſt Doctorum interpretatio. Cornel. à Lapide dicit eſſe duplex. Primum eſt hortatorium & increpatorium usque ad cap. 4. corripit enim mores 7. Epiſcoporum Aſiæ. Alterum eſt Propheticum prædicit enim res in Eccleſia futuras, præſertim ſub finem Mundi tempore Antichriſti.

66. Scripsêre in Apocal. innumeri ex veteribus. E recentioribus ſin-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſingulas hujus prophetiæ partes explicat appoſitè ad litteram Franciſcus Ribera; Blaſius Viegas ſucculentè, & moraliter, Benedictus Pererius doctè, & floridè, ſed in ſola octo priora capita. Ludovicus Alcazar prolixè, ingeniosè, & eruditè, ſed fortè non ſatis ſolidè. Cornel. à Lapide ſolidiùs, ùt videtur.

67. Ex his habes, libros ſacros alios eſſe legales, quibus videlicet lex continetur; ut eſt Pentateuchus, & quatuor Evangelia; alios hiſtoricos, ut lib. Joſuë, Judic. Ruth. Reg. Paralip. Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, Machab. & Acta Apoſtolor. Alios ſapientiales, in quibus ſapientia exponitur, nempe Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, & Eccleſiaſticus, & 21. epiſt. Apoſtolorum, alios demum Propheticos, nempe lib. Pſalmorum & reliquorum tam majorum quàm minorum Prophetarum cum Apocalypſi.

## §. III.

### *De ſumma horum librorum auctoritate, & horum tantùm.*

*Diſc.* SUntnè omnes prædicti libri Canonici, dictati videlicet ab ipſo Spiritu Sancto, & ùt tales ab Eccleſia recepti?

68. *Mag.* Omnes illi, quos enumeravi §. 1. ſunt hujusmodi, ut conſtat ex Innoc. I. ſcribente ad Exuperium, ex Concilio Roman. ſub Gelaſio, & Florentino in Inſtructione Armenorum, ac tandem ex Tridentino ſeſſ. 4.

69. Nec obſtat, quòd ab Hebræis non haberentur pro canonicis hi quinque libri; nempe Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum, imò nec ab omnibus in veteri Eccleſia. Non enim Canon Hebræorum, ſed Eccleſiæ facit libros canonicos. Eccleſia autem vetus nondum definierat prædictos omnes libros eſſe recipiendos, ut à Spiritu Sancto dictatos.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

70. *Diſc.* At quoniam ſic definivit Eccleſia, cur Lutherani negant habendam pro ſcriptura canonica & Divina Epiſtolam Pauli ad Hebr. Item epiſtolam Jacobi, & epiſtolam Judæ, ac demum Apocalypſim Joannis?

*Mag.* Ex eâdem cauſa, qua omnes veteris Teſtamenti libros rejiciebant Manichæi, aliique Hæretici de quibus S. Aug. in lib. de dono perſever. *Scripturas ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, imò Sacrilegio, quod volunt, ſumant, quod nolunt, rejiciant.* Vide Bellarm. tom. 1. Controverſiarum lib. 1. de Verbo Dei.

71. *Diſc.* Fuerúntne alii libri, præter prædictos, habiti pro canonicis?

*Mag.* Fuerunt quidem ùt tales habiti olim ab aliquibus tertius, & quartus liber Eſdræ, tertius, & quartus Machabæorum, pſalmus 151. Appendix libri Job, oratio Manaſſe, & liber Hermetis qui dicitur paſtor.

Hæc tamen pro ſcriptura Canonica nunquam habuit Eccleſia; non enim aliqui ſoli Eccleſia ſunt; modò autem nullus Catholicus ùt tales eos recipit, ſed eos tantùm quos recenſuimus cum Tridentino.

72. *Diſc.* Qui Canonici ſunt, ſuntne illi ipſi quos Spiritus Sanctus dictavit?

*Mag.* Utique.

*Diſc.* At quomodo poſt tot ſæcula, poſt tot Judæorum, qui eos cuſtodiêre, diſcrimina, vicéſque varias, ad nos pervenerunt incorrupti.

*Mag.* Divinâ Providentiâ id factum fuit. Ut enim hæc efficit, ut apud aliquos ſemper maneret vera Fides, ſempérque in terris maneret vera Eccleſia, ſic effecit ut maneret ſemper vera Fidei doctrina. Hanc autem incorruptæ doctrinæ laudem non omnis Sacrorum librorum editio ſibi vendicat, ſed quam Eccleſia probavit.

§. IV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## §. IV.

### De variis Sacrorum Librorum editionibus.

73. *Diſc.* QUot ſunt Sacrorum Librorum editiones, & quæ ex ipſis eſt ea, quam dicis incorruptam?

*Mag.* Diſces modò, ſed antea monendus es, autographos, ſeu originales, ac primævos veteris Teſtamenti codices fuiſſe omnes Hebraicos, exceptis Tobiæ, Judith, Eſdræ, & Danielis libris Chaldaicè primùm datis, & ſecundo Machabæorum libro, quem fuiſſe primitùs Græcè conſcriptum teſtatur S. Hieronymus. Originales verò novi Teſtamenti libri fuêre primitùs Græci, excepto Evangelio ſecundùm Matthæum, quod fuit Hebraicâ, id eſt Syriacâ tunc Hebræorum vulgari linguâ primitùs conſcriptum, & exceptâ pariter epiſtolâ Pauli ad Hebræos, quam fuiſſe Hebraicè à S. Apoſtolo ſcriptâm, contendit S. Hieron. contra Originem, qui

eam Græcè exaratam arbitratur. Excipiunt aliqui etiam Evangelium ſecundùm Marcum, quod putant Latinè à S. Evangeliſta traditum.

74. Hæc autem autographa, ſeu originalia ſcripturarum modò habemus nulla, ſed ſolùm apographa, ſeu exemplaria varia, editionésque varias, quæ ad quatuor reducuntur.

Prima editio Hebraica eſt, quam captivitatis Babylonicæ tempore ex integro, & quoad omnia exemplaria deperditam EſdraDivino plenus ſpiritu de novo, & ex integro quinq; Scribis memoriter dictavit, vel ſaltem, ut probabiliùs dicunt alii, ex parte deperditam, vitiatam, & corruptam priſtinæ fidei reſtituit: Cum hac vel ex Rabbinorum ignorantia, qui poſt S. Hieronymi tempora puncta perperam addiderunt, vel ex Amanuenſium injuria, aut imperitia non penitùs conſentit ea, quæ hodie extat. Et quamvis ejus errores non videantur eſſe tanti momenti, ut ejus quoad

fidem,

ſidem, & bonos mores cum originali conformitatem impediant, authentica tamen non eſt, cùm hæc ipſa conformitas nullo nobis Eccleſiæ judicio conſtet.

75. Ad Hebraicam reducitur Chaldaica, cùm ex Hebraica prodierit lingua Chaldaica. Hæc autem editio, quæ potiùs paraphraſis eſt, quàm verſio, eſt absque dubio impura, variíſque Judæorum fabulis, & Thalmudiſtarum nugis ſcatet: utilis tamen eſſe poteſt ad Judæos de Sanctiſſimæ Trinitatis, & venerandæ Incarnationis myſterio convincendos.

76. Ad Hebraicam ſimiliter pertinet Syriaca; hæc enim lingua ab Hebraica, & Chaldaica orta eſt. Hebræi ſiquidem Babylone degentes captivi ita Chaldaicè loqui cæperunt, ut tamen Hebraiſmos aliquos in verbis, & pronunciatione retinerent; hinc orta tertia lingua, quæ à regione dicta fuit Syriaca, quæque dein-

deinceps Hebræis cæpit eſſe vulgaris, & materna, quâ Chriſtus Dominus creditur uſus & modò utuntur Maronitæ, qui Libanum incolunt. Quamvis autem hæc editio magnæ authoritatis non ſit, cum hanc aut Divinam, aut autographam, aut autographo conformem nondum declaraverit Eccleſia, magnæ tamen utilitatis eſſe poteſt. Primò ad latinam noſtram multis in locis firmandam. Secundò ad loca aliquot obſcura penetranda. Tertiò ad revincendos Lutheranos, cùm in titulis, & capitum inſcriptionibus mentionem faciat jejuniorum Quadrageſimæ, venerationis Sanctæ Crucis, commemorationis defunctorum, aliarúmque ſimilium rerum, quas tanquam Romanorum Pontificum traditiones reſpuunt Lutherani.

77. Editio Samaritana Pentateuchi non differt ab Hebraica, niſi penes characteres, Teſtatur enim S. Hieronymus in prologo galeato, Eſ-

dram

dram novos inveniſſe characteres, & tradidiſſe Judæis, antiquos relinquendo Samaritis. Hæc editio antiquiſſima eſt, & ùt olim fuit, ita modò eſſet ingentis authoritatis, ſi ad nos perveniſſet illibata, adhuc tamen utilis eſt ad elucidandum vulgatæ editionis ſenſum.

78. Secunda editio Græca eſt: hæc autem multiplex fuit. Novem præſertim inter alias numerantur à Scriptoribus ſacris. Omnium prima eſt ſeptuaginta Interpretum, ſecunda eſt Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis, quinta & ſexta incerti auctoris, ſeptima S. Luciani Martyris, octava Heſichii Monachi, nona Origeniana. Præcipua inter has eſt ea 72. interpretum ſeniorum Hebræorum, qui juſſu Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis ducentis, & quinquaginta circiter annis ante Chriſtum natum ſeni ex qualibet Tribu, & utriúsque linguæ, Hebraicæ, nimirum, & Græcæ

pe-

peritiſſimi ſpatio 72. dierum in inſula Pharos mirabili conſenſione Divinas, litteras ex Hebraica lingua in Græcum idioma tranſtulerunt. Hac olim uſi ſunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ſempérque uſa eſt Eccleſia Græca; Latina verò per ſexcentos circiter annos, nec unquam fuit reprobata; authentica tamen modò non eſt, cùm non ſit pura, ſuóque conformis originali, teſte S. Hieron. in præfatione ad Paral. Utilis tamen eſt ad vulgatam noſtram elucidandam. Cùm verò hæc, quæ eſt præcipua, authentica non ſit, abſque dubio nec erunt reliquæ Græcæ verſiones.

79. Tertia editio Latina eſt, quæ adeò multiplex fuit, ut innumeras hujuſmodi verſiones fuiſſe dicat S. Auguſt. Duæ inter has præcipuæ fuêre: una antiqua incerti Auctoris, quam Italam, id eſt Latinam vocat S. Aug. communem S. Hieron. veterem S. Gregor. Altera nova à S. Hieronymo data, qui juſſu S. Damaſi

Romani

Romani Pontificis vetus Teſtamentum ex Hebræo Latinum fecit, & novum Græcæ fidei reddidit. Diu fuit magna lis in Eccleſia, utra ex his præferenda eſſet, ſed non longè poſt S. Gregorii tempora conflata eſt una ad communem Eccleſiæ uſum, quæ nec antiqua, nec nova, ſed vulgata communis dicta fuit, quia nimirum libri nonnulli leguntur in ea eo modo, quo in antiqua, & alii eo modo quo in nova, & hæc eſt hodierna vulgata noſtra multorum ſæculorum uſu in Eccleſia recepta, & de qua tandem ſpeciali Concilii Tridentini decreto proviſum eſt ſeſſ. 4. *Ut pro authentica habeatur, & ut eam nemo quovis prætextu rejicere audeat, vel præſumat.*

80. Quarta editio vernacula eſt, quæ tam multiplex eſſe poteſt, quàm multæ ſunt linguæ vernaculæ, nempe vulgares, & propriæ cujúſque regionis. Et quidem reipſa fuêre multæ, præcipuæ tamen ex Orientalibus fuêre Arabica, Æthiopica, Perſica,

&

& ex Occidentalibus Germanica, Gallica, Hiſpanica, Polonica, Anglica, Italica, Hungarica, Belgica, Hibernica, quarum nulla authentica eſt, quia nulla ut talis declarata fuit ab Eccleſia, quæ præterea duo circa has verſiones conſtituit. Primùm, ne in publico Eccleſiæ uſu, præſertim in Miſſa, legantur paſſim Scripturæ in vulgari lingua: Sic enim Tridentinum ſeſſ. 22. c. 8. *Et ſi Miſſa contineat magnam populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim linguâ celebraretur.* Alterum, ne hujuſmodi vulgares Sacræ Scripturæ verſiones omnibus indiſcriminatim legi permittantur, cùm juxta quartam Indicis regulam à Sixto V. & Clemente VIII. approbatam, *experimento manifeſtum ſit, plus inde detrimenti, quàm utilitatis oriri ob hominum temeritatem.*

81. Ex his infer, ſolam vulgatam Latinam eſſe authenticam, & Fidei noſtræ regulam, ſiquidem de ſolà

hac

hac nobis conſtat ex definitione Eccleſiæ eſſe verè Divinam, nempe conformem textui originali. Ad ſolam autem Eccleſiam, quæ infallibilis eſt, pertinet id definire. Quare optimè Aug. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret authoritas.*

82. *Diſc.* Súntne omnia, quæ continentur in Scripturis, dictata Scriptoribus ſacris à Spiritu Sancto?

*Mag.* Videtur probabilior ſententia Melchioris Cani, Bellarmini, Andreæ de Vega, aliorúmque docentium, aliqua præſertim ex naturaliter notis, ut quod *Alexander conſtituit prælia multa* ſicut dicitur 1. Machab. cap. 1. aliáque hujuſmodi non eſſe dictata à Deo, ſed ab ipſis Scriptoribus ſacris dicta, aſſiſtente tamen Spiritu Sancto, ac providente, ne quid falſum, vitioſum, & quocúnque modo reprehenſibile ſcriberent. 1. quia non erat neceſſarium ut Deus ipſe dictaret omnia. 2. quia ipſe S. Lucas in ſuæ hiſtoriæ Evangelicæ præfatiun-

ſatiuncula ſe omnia ſcripturum promittit, ùt audivit ex ore Apoſtolorum, qui *ab initio viderunt*: diceret autem, *ut accepi à Deo dictante*, ùt dixit Sanctus Paulus ad Galat. c. 12. loquens de Evangelio, quod prædicabat. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*; ut ſimiliter dicunt paſſim Prophetæ, quorum ſunt ea. *Hæc dicit Dominus*, vel: *Factus eſt ſermo Domini ad me dicens*. 3. quia idem Paulus 1. ad Cor. c. 7. diſtinguit inter ea, quæ erant præcepta, & dictata Divina ab iis, quæ ipſi non erant à Deo dictata. Nam dicit; *Præcipio non ego, ſed Dominus*: & paulò poſt: *Cæteris dico ego non Dominus*; quamvis hæc ipſa ſua doctrina eſſet à Spiritu Sancto ſibi aſſiſtente, unde ſubdit, *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*. Nec facit, quòd paſſim Patres dicant, nullam eſſe ſyllabam in Scripturis, quæ non ſit plena myſterio, quæque non habeat multos ſenſus: id enim

enim dicunt, ut ſignificent ſic eſſe ferè ſemper. Cæterùm quem alium ſenſum, quàm litteralem continent ea verba: *Alexander conſtituit prælia multa?*

## §. V.

### *De multiplici Librorum Sacrorum ſenſu.*

83. *Diſc.* QUoniam de ſenſu Scripturæ ſermo incidit, quotuplex ille eſt? & quis eſt? Audivi enim non ſemel eſſe multiplicem.

*Mag.* Reſpondet S. Gregorius Nazianzenus in epiſt. ad Nemeſ. *Eſt in Scripturis noſtris duplex ſenſus, alter internus, & ſpiritualis, alter externus, nec litteræ corticem excedens.* Externus, qui & litteralis dicitur, eſt ille, quem ipſa verba proximè, & immediatè nobis exhibent. Spiritualis verò, qui & myſticus dicitur, non per ipſa verba, ſed per rem verbis ſignificatam nobis à Spiritu Sancto exhibetur. Et quia ſpiritualis iſte ſenſus, ſeu potiùs

tiùs ſignificatum ipſum vel pertinet ad Fidem, & Eccleſiam militantem, vel ad morum inſtructionem, & officia charitatis, vel ad vitam æternam, quam ſperamus, & ad triumphantem Eccleſiam; ideò triplex eſt iſte ſenſus myſticus & ſpiritualis; & primus dicitur allegoricus, ſecundus tropologicus, ſeu moralis, tertius anagogicus. Hi quatuor Scripturæ ſenſus hoc duplici verſu deſignari ſolent.

*Littera geſta docet: quid credas Allegoria: Moralis quid agas: quid ſperes Anagogia.*

Dum igitur Geneſis. 1. dicitur, *fiat lux*, litteraliter ſignificatur creatio lucis facta à Deo veluti primogenita creaturarum. Allegoricè ſignificatur Chriſtus lux mundi, & *primogenitus omnis creaturæ*, ut vocatur ab Apoſtolo ad Coloſſ. 1. v. 15. Tropologicè ſignificatur Gratia Spiritûs Sancti, quâ anima juſtificatur, ornatur tanquam luce, & diſponitur ad actus, & officia virtutum, & præſertim charitatis. Anagogicè ſignificatur lumen Gloriæ,

Gloriæ, de qua dicitur, *Lux perpetua luceat eis.*

84. Quamvis autem Sancti Patres Eccleſiæ Doctores modò unum, modò alterum ſenſum ex quatuor recenſitis in interpretandis Scripturis proponant: aliqui tamen in uno ſenſu exponendo præcipuam operam collocârunt, alii in alio. Quæ autem fuerit in hoc cujusque laus, diſces à Sixto Senenſi id exprimente lib. 3. Bibl. his verſibus.

*Hiſtoriam Hebræis, & Græcis fontibus hauſtam*
*Hieronymo diſces duce.*
*Allegorias, Anagogiáſque recludent*
*Origenes, & Ambroſius.*
*Exponent ſenſus formandis moribus aptos*
*Chryſoſtomus, & Gregorius.*
*In dubiis, altâque locis caligine merſis*
*Aurelius lucem feret.*

## §. VI.
## *De interpretatione Sacrorum Librorum.*

85. *Diſc.* LIcétne cuique Sacram Scripturam exponere?

*Mag.* Nec licet cuique exponere, nec ulli licet quovis modo exponere. Nam qui Doctor in Theologia non eſt, exponere Scripturam Sacram non debet. Id enim munus Sacri Doctoris eſt, nempe eius qui doctrinam Fidei benè calleat ex longo ſtudio, ut graduati Doctores, vel ex dono Dei, ut Catharina Senenſis, Thereſia, aliique ſanctiſſimi utriuſque ſexûs homines, quos propheta Joël longè antea indigitavit, dicens c. 2. 28. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ.*

86. Qui verò hanc interpretandi provinciam ſuſcipit, meminerit primò, ſe tractare Cœleſtia Sacramenta: ſancta autem ſanctè tractanda ſunt

ſunt, nempe cum quodam timore, & reverentia, non verò ea ratione, quâ Homeri carmina, aut aliud hujusmodi exponeretur.

Meminerit ſecundò, ſe abdita Fidei noſtræ myſteria evolvenda ſuſcipere, opus proinde ſibi eſſe luce ſupernâ, ſine qua omnis terrenæ ſapientiæ lux aut inutilis eſt aut etiam noxia, ſi præſertim inſit animo ſuperbo, aut pervicaci.

Meminerit tertiò, ſe Divini Spiritûs interpretem agere; non igitur ad ſenſus aut ridiculos, aut abſonos, aut futiles, aut alienos verba detorqueat, ut faciunt qui non ſequuntur ipſi, quod iñuunt verba, ſed ea cogunt ſibi ſervire, nempe ea quæ animo præconceperunt, veluti dicta à Spiritu Sancto, deſignare.

Meminerit quartò, verba Scripturæ in proprio ſenſu eſſe accipienda & non in improprio, quando evidens ratio, vel authoritas ad improprium & Metaphoricum non compellit.

Hanc regulam, quæ maximè locum habet in locis, quæ ad dogmata fidei, vel ad hiſtorias pertinent, tradunt apud Suarium in opere ſex dierum lib. 1. cap. 6. n. 4. & alibi Doctores, Patrésque, nempe Dionyſ. cap. 4. de Div. nomin. Baſil. hom. 1. Examer. & præſertim hom. 9. Nyſſ. in principio Examer. Ambroſ. toto lib. 1. Examer. & lib. 2. cap. 1. Aug. lib. 8. Gen. ad lit. cap. 1. Beda in Examer. D. Th. 1. p. q. 65. 66. 67. & reliqui Scholaſtici cum Mag. in 2. d. 12.

Meminerit quintò, proprium ipſum ſenſum ex loco, & tempore, & aliis ejusdem Scripturæ locis eruendum. Ad hanc regulam ſi reſpexiſſent Arius, & Lutherus, nec ille ex eo, quòd Filius ſemel dicat Patrem eſſe ſe majorem, collegiſſet Verbum non eſſe conſubſtantiale Patri: nec iſte et reliqui Novatores non pauci ex eo, quòd Paulus aſſerat fidem reputatam Abrahamo ad juſtitiam, & ei qui operatur, mercedem non imputari

tari ſecundùm gratiam, collegiſſent, fidem ſufficere ad juſtificationem.

Meminerit 6. decreti Concilii Tridentini ſeſſ. 4. quod ita habet. *Præterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unaninem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.*

Meminerit tandem Linguæ Hebraicæ notitiam eſſe perutilem, imò neceſſariam interpreti Scripturarum. Qui enim eas ex lingua Hebraica in alias linguas, ínque ipſam noſtram Latinam verterunt, ut magis textui genuino inhærerent, phraſim, & modum loquendi Hebraicum, qui

magnam quandoque obſcuritatem ejus linguæ ignaris facit, retinuerunt. Hebræi ex. gr. non utuntur uſitatis apud nos comparationum particulis: *Sicut*, *ut*, *quemadmodum*, *tanquam*. Has quandoque omiſerunt etiam qui ſcripturas tranſtulêre; hinc obſcuritas illius v. 31. Pſalm 64. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum.* Cujus is ſenſus eſt. Increpa, redargue Principes viros Iſraëlitici populi, qui ferociunt, & devaſtant omnia tanquam feræ in arundineto, quique, tanquam tauri multi inter vaccas, laſciviunt in populis ſibi ſubjectis.

Cæterùm cum innumeri jam, iique doctiſſimi, eruditiſſimique interpretati ſint exactiſſimè Scripturas Sacras, vix nobis hac in re ſcribendi locus relictus eſt. Conſultius proinde fuerit eos legere, qui hac in re primas tulerunt, eorúmque labore ad docendum quidem alios, qui legere non poſſunt,

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non autem ad ſcribendum, recoquendúmque quæ jam ſcripta fuêre, proficere.

Sed hæc ſatis ſint ad aliquam primæ Theologiæ, quæ Sacras Scripturas interpretatur, notitiam comparandam; nunc agendum de ſecunda, nempe de ſpeculativa.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# TYROCINII THEOLOGICI

## PARS II.

*In qua agitur de Theologia Speculativa.*

### §. I.

*De ejus antiquitate, & methodo.*

1. *Diſc.* EStne hæc facultas recens inventa, ut audio à multis dici?

*Mag.* Nempe ab iis, qui novum, & Patribus ignotum appellant quidquid ipſi deſpiciunt. Sed hos interroga, an recens eſſe poſſit ea facultas, de qua tam expreſsè S. Auguſtinus lib. 2. de Doctr, Chriſtiana cap. 31. *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt, pene-*

*penetranda & diſſolvenda, plurimùm valet : tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi , & puerilis quædam oſtentatio decipiendi.* Eandem laudat lib. 14. de Trin. cap. 1. dicens eam eſſe, *per quam fides ſaluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

2. Et quidem ſine ea traditur doctrina Fidei pueris, rudibùſque qui nihil interrogant, nihil objiciunt, ſed audita memoriter diſcunt, & ſimpliciter credunt, non autem viris cultis, qui quod audiunt, intelligere cupiunt, & curant quantum poſſunt; & multò minùs hoſtibus Fidei, qui quod audiunt, impugnant. Fuit igitur ſemper in Eccleſia Dei hæc facultas, ſine qua citra errandi periculum nequit Evangelicus Præco ſuo munere fungi. Ad ſummum perantiqua non eſt Methodus, & Ordo, quem modo Doctores in hac facultate tradenda cuſtodiunt.

3. Totam enim Fidei doctrinam tractandam à Theologo, explican-

dámque redegit in quatuor libros circa ann. 1145. Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, dictus ab hoc opere Magiſter ſententiarum. Quæ enim in unaquâque quæſtione Doctorum ſententia eſſet, expoſuit. Primus horum librorum continet doctrinam de Trinitate, & unitate Dei. Secundus de creatione Mundi, ac præcipuè Angelorum, & hominum, & de Gratia Dei. Tertius de Incarnatione Verbi, déque virtutibus, & vitiis. Quartus de Sacramentis, & Noviſſimis, id eſt Reſurrectione, Judicio &c.

4 Hos libros explicandos ſuſcepêre, qui poſtea per aliquot ſæcula Theologiam hanc diſputatricem tradidêre; inque libros ſententiarum Petri Lombardi ſcripſit ipſe D. Thomas, quamvis poſtea paulò aliter in Summa materiam Theologicam digeſſerit in tres Partes, quarum tamen ſecunda dividitur in duas, quarum prima dicitur prima ſecundæ, ſecunda verò dicitur ſecunda ſecundæ. In prima

agit

agit de Deo Uno, & Trino, de creatione, de Angelis, ac de homine, præſertim primo. In ſecundæ partis prima parte agit de beatitudine, de actibus humanis, de Legibus, de Gratia, & merito. In altera parte hujus ſecundæ partis agit de Virtutibus in particulari, nempe de Fide, Spe, Charitate, Sapientia, Prudentia, Juſtitia, Religione, Pietate, Obedientia, Gratitudine, Veritate, Liberalitate, Fortitudine, Temperantia; & de vitiis oppoſitis, ac tandem de Gratiis gratìs datis. In tertia parte agit de Incarnatione Verbi Divini, de ejuſdem Chriſti Nativitate, manifeſtatione, Baptiſmo, Converſione, Tentatione, Doctrina, miraculis, Paſſione, Morte, Reſurrectione, ac de Sacramentis ab eo inſtitutis.

5. Hac eâdem, aut non admodum diſſimili ratione modò traditur in pleriſque aut præcipuis Orbis Catholici Academiis.

6. Hæc autem à Theologo Schola-

ſtico tractantur ordinatiſſimè non coacervando videlicet, ut fiebat olim, à multis multas circa idem propoſitum ſententias, idque ipſum verbis ſæpè impropriis, & oratoriè magis quàm ſcholaſticè productis, ſed proponendo clarè ac diſertè ſententiam ſuam, eámque validis argumentis ſtabiliendo ac demùm ea quæ ab adverſæ ſententiæ propugnatoribus proferuntur, aut proferri poſſunt, convellendo. Hac methodo D. Thomas, aliique pauci ante ipſum, omnes poſt ipſum Theologicas quæſtiones agitârunt.

## §. II.
### *De Locis Theologicis.*

*Diſc.* AT unde petitis hæc argumenta quibus veſtram ſententiam Theologi Scholaſtici confirmatis?

7. *Mag.* Petimus ex Scripturis, ex Traditione, ex Conciliis, ex Pontificum definitionibus, ex Patribus, ex ratione ipſa.

*Pri-*

*Primus locus Theologicus, Scriptura Sacra*

8. DE hoc ſatis actum eſt ſuprà. Nunc addo hoc tantùm, ex Scripturis in ſenſu litterali acceptis erui aut unicè, aut maximè Theologicum argumentum.

*Secundus locus Theologicus, Traditio Divina.*

9. NOmine Traditionis ſignificamus hìc Doctrinam Sacram non ſcriptam, ſed vivâ voce, quaſi de aure in aurem ſucceſſivè traditam, quæ alia eſt Divina, alia Apoſtolica, alia Eccleſiaſtica, nempe alia profecta àb ipſo Deo docente, alia ab Apoſtolis, alia ab Eccleſia, quæ rursùs alia eſt de Fide, alia de moribus, alia univerſalis pro tota Eccleſia, alia particularis pro Eccleſia particulari. Traditio Divina eſt, e. g. doctrina, quam habemus de perpetua Deiparæ virginitate, de non rebaptizandis Hæreticis, de invocatione Sanctorum, de

Sacrarum imaginum cultu de Septenario Sacramentorum numero Hæc enim in Scripturis non continentur, ſunt tamen Fidei doctrina, non igitur doctrina ſcripta eſt, ſed tradita, igitur traditiones ſunt.

10. Traditio Apoſtolica alia eſt Apoſtolica Divina, quæ eſt ab Apoſtolis, ut Chriſti præconibus, ſeu nomine Chriſti loquentibus, quam videlicet ipſe Chriſtus immediatè docuit Apoſtolos, & hi Eccleſiam, ut ſunt prædictæ, & aliæ multæ ante, & poſt Reſurrectionem Apoſtolis conſignatæ: Alia eſt purè Apoſtolica, quæ eſt ab Apoſtolis, ut Eccleſiæ paſtoribus, ac proinde non deſcendit à Chriſto, ſed ab ipſis Apoſtolis, aſſiſtente tamen Spiritu Sancto. Hujuſmodi ſunt quatuor Temporum inſtitutio, Chriſmatis renovatio annis ſingulis facienda &c. De primi generis traditionibus, vel etiam de utriusque loquitur Apoſtolus 2. ad Theſſalon. c. 2. v. 15. *State, & tenete traditiones, quas didi-*

*didiciſtis, ſive per Sermonem*, id eſt, vivâ voce, *ſive per epiſtolam*, id eſt, ſcripto.

11. Traditio Eccleſiaſtica eſt illa, quæ nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſed poſtea ab Eccleſiæ Prælatis, vel à populis, Prælatis conſentientibus, introducta eſt, & tandem per modum legis, vel conſuetudinis communiter recepta, & ad nos usque delata ùt eſt ſolemnitas & obſervatio quorumdam feſtorum; jejunium in pervigiliis aliquorum Sanctorum; abſtinentia à carnibus die Veneris, vel Sabbathi; antiquus Candelarum, Cinerum, Palmarum, & ſimilium benedictionis uſus, aliæque hujusmodi.

12. *Diſc.* At unde cognoſcam, aliquam traditionem eſſe Divinam, vel purè Apoſtolicam vel Eccleſiaſticam?

*Mag.* Ex communi Patrum conſenſu, vel Eccleſiæ definitione. Ex hoc cap. eſt traditio Divina, perpetua B. Mariæ Virginitas. Rursùs ex eo, quod

quod materia auctoritatem humanam excedat. ut quæ pertinent ad numerum, vel ſubſtantiam Sacramentorum. Diſtingues Apoſtolicam ab Eccleſiaſtica ex eo, quòd non conſtet de illius initio; jam enim incepit cum Eccleſia, & vel eſt apoſtolica Divina, vel purè Apoſtolica, ut quòd aqua miſcenda ſit Calici. *Quod Univerſa tenet Eccleſia* (inquit S. Auguſt. lib. 1. contra Donat. cap. 24) *nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, non niſi Auctoritate Apoſtolicâ traditum, rectiſſimè creditur.*

13. *Diſc.* Admittúntne Hæretici traditiones ſaltem divinas, quas dixiſti eſſe doctrinam Dei non ſcriptam?

*Mag.* Nequaquam: Sed errant manifeſtè. Nam admittunt Scripturas, ergo admittere neceſſariò debent traditiones, tum quia quòd extent Scripturæ Divinæ, quòd nempe hi libri ſint Scriptura Divina ab initio à Deo inſpirata, & dictata, antequàm ab Eccleſia definiretur, ex ſo-

ex ſola traditione habebatur, tum quia ipſa Sacra Scriptura docet eſſe aliquas traditiones, eásque eſſe admittendas. Hinc. 1. Deuter. cap. 32. v. 7. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi.* Et Paulus 2. ad Theſſal cap. 2. v. 15. *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Et 2. ad Timoth. cap. 2. v. 1. *Tu ergo fili mi . . . quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda Fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Rursùs admittunt Patres, præſertim antiquiores; At hi manifeſtè docent, eſſe in Eccleſia traditiones, quæ ſunt ab omnibus admittendæ. Horum loca reperies apud omnes Controverſiarum Fidei Scriptores. Tandem credere debent Conciliis, quæ hujusmodi traditiones ſtatuunt, ut facit Nicænum ſecundum act. 7. in fine, Concilium VIII. pariter generale act. 8. Tridentinum ſeſſ. 4. Ex hoc ergo optimum argumentum petet Theologus.

*Ter-*

*Tertius locus Theologicus, Concilia.*

14 TErtium Caput diximus eſſe Concilia; hæc autem ſunt aut Generalia, aut Nationalia, aut Provincialia, aut Diæceſana. Generale, ſeu univerſale eſt, quod à Papa totius Eccleſiæ Prælatos tam Patriarchas, quàm Archiepiſcopos, & Epiſcopos vocante, congregatur. Nationale eſt, quod à Primate, omnes ſuæ Primatiæ, vel à Legato Pontificis omnes alicujus Nationis Epiſcopos, & Archiepiſcopos convocante, congregatur. Provinciale eſt quod congregatur ab Archiepiſcopo omnes ſuæ Provinciæ ſuffraganeos convocante.

15. His ſacris Conventibus intereſſe debent omnes Epiſcopi vel provinciæ, vel Nationis, vel Eccleſiæ univerſæ, & alii qui jurisdictionem Epiſcopalem obtinent, ut ſunt aliqui Abbates, & Priores, & quicunque aliàs jure, vel conſuetudine intereſſe ſolent, niſi obſtet itineris gra-

grave Periculum. Abbates, Commendatarii, & Capitulorum deputati obtinent vocem duntaxat conſultivam uti etiam Laici, qui juſtas ob cauſas admitti poſſunt. Epiſcoporum verò abſentium Procuratores poſſunt habere etiam votum deciſivum, ſi Concilio viſum fuerit. Decreta non debent inconſulto Romano Pontifice publicari, & ad eorum obſervationem obligantur omnes, qui Epiſcopali juriſdictioni ſubduntur, & etiam exempti in aliquibus caſibus. Diæceſanum denique eſt quod ab Epiſcopo ſuæ Diæceſis Clerum convocante congregatur.

16. *Diſc.* Eſtne idem Concilium Generale, & Oecumenicum?

*Mag.* Eſt idem Grammaticaliter, nam Oecumenicum ſecundùm vocis inſtitutionem idem eſt ac univerſale, at non eſt idem canonicè, & in acceptione eruditorum: nam Oecumenicum dicitur illud quod eſt ita univerſale, ut ſit etiam legitimum.

17 *Diſc.* Quid requiritur ut ſit legitimum?

*Mag.* Requiritur 1. quod vel à Romano Pontifice, vel cum ejus aſſenſu convocetur, aut ſaltem ab ipſo ejus convocatio rata habeatur. 2. ut convocentur ex Orbe Chriſtiano quantum fieri poteſt, omnes Epiſcopi, ſic ut nullus ex Epiſcopis qui Diæceſim habent, poſitivè excludatur, niſi per Excommunicationem ab Eccleſia ſegregatus fuerit. Sufficit autem abſolutè ad integritatem Concilii, ut ſaltem ex potioribus Orbis Chriſtiani partibus Epiſcopi aliqui adveniant, qui poſſunt ex Pontificis aſſenſu cæterorum vices & vota ſupplere, ut docet Suar. hic diſp. 11. ſect. 2. num. 7. Obtinuit etiam conſuetudo, ut advocentur Cardinales, Generales Ordinum, & nonnulli Abbates, qui omnes cum Epiſcopis exercent munus Judicis, & ſuffragium habent deciſivum, ideóque cum illis ſignant *definiens ſubſcripſi.*

Alii

Alii verò Theologi, qui advocantur ut Conſultores, tantùm ſignant, *Conſentiens ſubſcripſi.* Adſunt etiam plerumque aut Imperatores, Regéſque, aut eorum Legati, ſed ùt teſtes tantùm, & Concilii defenſores. Requiritur 3. ut vel per ſe, vel per ſuos Legatos Pontifex Concilio præſideat, vel accedente ejus approbatione hic defectus poſtea ſuppleatur, ut in Concilio Generali ſecundo, & quinto factum conſtat?

18. *Diſc.* Eſtne infallibilis Concilii Generalis à Romano Pontifice congregati definitio?

*Mag.* Reſp. affirmativè, ſi à Pontifice approbetur, vel ſaltem niſi Patres Concilii Legatis Pontificiis repugnent, neque ipſi Legati contradicant mandato, & Inſtructioni, quam à Pontifice privatim acceperunt, ut Bellarminus, hic, & alii communiter. Hic tamen adverte, quod ſi Concilium Generale congregatur pro aliqua neceſſitate Eccleſiæ, ſede vacante, aut viven-

vivente tantùm dubio Pontifice, erit infallibile in iis, quæ requiruntur, ut præſenti neceſſitati ſubveniatur: alioquin non ſatis proſpexiſſet Chriſtus ſuæ Eccleſiæ gubernationi, nec ſuppeteret ratio tollendi ſchiſmatis contumacis.

*Diſc.* Quot ſunt iſthæc Concilia Oecunemica hactenus celebrata?

## *Concilia Oecumenica.*

19. *Mag.* IN hoc non conveniunt omnes: numerari tamen ſolent octodecim. Primum eſt Nicænum I. Patrum 318. Nicææ in Bythinia celebratum à Sylveſtro Papa, ſub Conſtantino Imperatore, anno 325. contra Arium, qui Verbi Divini Divinitatem negabat.

20. Secundum eſt Conſtantinopolitanum I. Catholicorum Epiſcoporum 150. à Theodoſio ſeniore ex mandato Damaſi Pontificis congregatum anno 381. ad Fidem Concilii Nicæni magis ſtabiliendam, & ad firmandam

mandam Spiritûs Sancti Divinitatem contra Macedonium.

21. Tertium eſt Epheſinum I. pluſquam ducentorum Epiſcoporum, authoritate Cœleſtini Papæ, & operâ Theodoſii Junioris convocatum Epheſi anno 430. contra Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolit. qui Chriſtum in duas perſonas dividebat, unam quidem Deum ex Patre, alteram purum hominem ex Matre, quam proinde Deiparam vocari noluit.

22. Quartum eſt Chalcedonenſe 630. Epiſcoporum ſub Leone I. Papa anno 451. celebratum contra hæreſin Eutychetis, & Dioſcori, qui unam tantùm eſſe in Chriſto naturam aſſerebant.

23. Quintum eſt Conſtantinop. II. Epiſcoporum 255. anno 553. convocatum à Juſtiniano Imper. annuente Vigilio Papa. Damnavit hæc Synodus Origenem, & tria Capitula, nempe doctrinam, & perſonam Theodori

dori Mopſueſteni, Epiſtolam Ibæ Epiſcopi Edeſſeni, & ſcripta Theodoreti Cyrenſis Antiſtitis contra S. Cyrillum, in quibus hæreſis Neſtoriana continebatur.

24. Sextum eſt Conſtantinopolitanum III. Epiſcoporum 289. authoritate Agathonis Papæ à Conſtantino Pogonato convocatum anno 680. contra Monothelitas, qui auctoribus Theodoro Pharanitano Epiſcopo, Sergio Patriarcha Conſtantinop. & Cyro Patriarcha Alexandrino dicebant, quod *ſicut in Chriſto unus eſt operator, & una perſona volens, ita eſt una ſola voluntas & una operatio.*

25. Septimum eſt Nicænum II. Epiſcoporum 350. à Conſtantino Imperat. & Irene ejus Matre conſenſu Adriani I. Papæ congregatum contra Iconomachos anno 787.

26. Octavum eſt Conſtantinop. IV. Epiſcoporum 383. vel ut dicunt alii, 120. in cauſa Photii per vim intruſi in Patriarchatum Conſtanti-

nop.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nop. convocatum fuit anno 869. mandante Adriano II. Papa, operâ Baſilii Imper. Hæc in Oriente celebrata fuêre: ſequentia in Occidente.

27. Nonum eſt Concilium Lateranenſe I. Patrum ſive Epiſcoporum, ſive Abbatum ferè mille, hoc eſt 997. convocatum, & celebratum an. 1122. in Baſilica Lateranenſi à Calliſto II. Rom. Pontif. ad confirmanda Conventûs Vormatienſis concordata inter prædictum Calliſtum, & Henricum V. circa Beneficiorum collationem, & ad procuranda ſubſidia contra Saracenos pro recuperanda Terra Sancta.

28. Decimum eſt Lateranenſe II. Epiſcoporum ferè mille convocante & præſidente Innocentio II. celebratum pariter in Lateran. Baſilica. an. 1139. contra Anacletum, & ejus ſucceſſorem Victorem, Antipapas, & contra Petrum de Bruis, ejúſque diſcipulum Arnaldum Brixienſem, aſſerentes inter alia, Baptiſmum nihil

prodeſſe parvulis, Templa eſſe deſtruenda, &c.

29. Undecimum eſt Lateranenſe III. Epiſcoporum ampliùs 300. poſt extinctum ſchiſma trium Pſeudopontificum Victoris IV. Paſchalis III. & Calliſti III. an. 1179. ab Alexandro III. convocatum 1. ad damnandos Schiſmaticos, & providendum, ne ſimili impoſterum ſchiſmate vexaretur Eccleſia. 2. ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam. 3. ad damnandas tunc in Occitania & Aquitania Catharos, Waldenſes, & Albigenſes, quorum errores vide infrà.

30. Duodecimum eſt Lateranenſe IV. ab Innocentio III. convocatum ann. 1215. Interfuêre Patres 1285. nempe Pontifex ipſe, Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, Archiepiſcopi 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores, Decani, vel Præpoſiti Conventuales 800. cum utriúſque Imperii Orientalis, & Occi-

Occidentalis, Regúmque Jeroſolymorum, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hungariæ, Siciliæ, Cypri, aliorúmque Principum, & Civitatum Legatis. In hoc iterum damnati Albigenſes, damnatus libellus Abbatis Joachim contra Petrum Lombardum de Unitate SS. Trinitatis; damnata quoq; perverſa dogmata Almarici Pariſienſis Doctoris, qui docuerat nec Paradiſum, nec Infernum extare, nec Chriſti corpus eſſe in Sacramento, &c.

31. Decimum tertium eſt Lugdunenſe I. Epiſcopor. 140. convocatum ann 1245. ab Innocentio IV. cauſa Friderici Imperatoris deponendi, & expeditionis ſuſcipiendæ in terram Sanctam.

32 Decimum quartum eſt Lugdunenſe II. Patrum ferè mille, convocatum anno 1294 à Gregorio X. pro recuperatione Terræ Sanctæ, & contra errores Græcorum, quorum unio cum Latinis facta eſt, maximè operâ S. Bonaventuræ.

33. Decimum quintum eſt Vien-nenſe in Gallia, Epiſcoporum 300. & ampliùs convocatum an. 1311. à Clemente V. ad damnandos errores Beguardorum, & Beguinarum perſi-miles erroribus Quietiſtarum noſtri temporis, & ad extinguendum Tem-plariorum Ordinem.

34. Decimum ſextum eſt Floren-tinum rogatu Joannis Paleologi Græ-corum Imperatoris qui Concilio in-terfuit ab Eugenio IV. convocato contra errores Græcorum an. 1438.

35. Decimum ſeptimum eſt Late-ranenſe V. anno 1512. inchoatum ſub Julio II. ad tollendum ſchiſma Conciliabuli Piſani, & à Leone X. abſolutum.

36. Decimum octavum, & ulti-mum eſt Tridentinum cœptum ann. 1545. ſub Paulo III. contra Luthe-ranam, aliáſque hæreſes, continuatum ſub Julio III. tandem ſub Pio IV. fe-liciter abſolutum, & ab eodem con-firmatum anno 1563.

37. Hæc ſunt Concilia Generalia penitùs approbata, adeóque Oecumenica.

*Diſc.* Súntne alia reprobata, aut non penitùs approbata, & legitima?

*Mag.* Sunt utique ſeptem Generalia illegitima, & reprobata, & alia ſex partim approbata, partim reprobata.

*Concilia Generalia reprobata.*

38 PRimum illegitimum, & reprobatum eſt Antiochenum 90. & amplius Epiſcoporum convocatum anno 341. à Conſtantino Imperatore, in quo ab Arrianis damnatus eſt S. Athanaſius, & via patefacta ad everſionem Concilii Nicæni I. per quatuor ſubdolas Fidei formulas.

39. Secundum reprobatum eſt Mediolanenſe pluſquam 300. Epiſcoporum, convocatum quidem à Liberio Papa anno 355. adeóque legitimè inchoatum, ſed poſtea illegitimè celebratum coactis per vim Patribus

à Conſtantio Imperatore damnationi S. Athanaſii ſubſcribere.

40. Tertium reprobatum eſt Ariminenſe 600. Epiſcoporum, pariter ſub Conſtantio anno 372. Ita Bellarminus, ſed Baronius, aliique duo Ariminenſia diſtinguunt, legitimum unum, in quo Fides Nicæna confirmata fuit; alterum illegitimum, in quo fraude Arrianorum etiam Epiſcopi Catholici ſubſcripsêre formulæ Fidei ambiguæ, in qua vox *homouſios* omiſſa eſt.

41. Quartum reprobatum eſt Epheſinum II. Epiſcoporum 128. ab Imperatore Theodoſio anno 449. convocatum, in quo omnia vi, & minis acta fuerunt, Eutiches abſolutus, occiſus Flavianus Epiſcopus Conſtantinopol. unde prædatoria Synodus, & Latrocinium appellatum fuit.

42. Quintum reprobatum eſt Conſtantinopolitanum tempore Leonis Iſaurici Iconomachi ann. 730.

con-

contra Sacras Imagines convocatum. Quanquam hoc malè numeratur inter Generalia, ſicut & duo ſequentia.

43 Sextum reprobatum eſt Conſtantinopolitanum pſeudoſeptimum dictum, Epiſcoporum Iconomachorum 338. ann. 754. ſub Copronymo ad tollendum cultum ſacrarum Imaginum.

44. Septimum reprobatum eſt Piſanum à quibuſdam Cardinalibus contra Julium II. convocatum.

*Partim autem approbata, partim reprobata fuêre ſequentia.*

45 PRimum Sardicenſe anno 347. ſed Card. Baronius, & alii, duo fuiſſe dicunt hoc nomine nuncupata: unum verè Sardicenſe, & legitimum à 300. & amplius Catholicis Epiſcopis celebratum. Aliud verò ſpurium ab 80. circiter Epiſcopis Arrianis eodem tempore in vicinia, ſcilicet Philippopoli habitum.

46. Secundum Sirmienſe anno 356. vel 351. ut vult Petavius, in

quo fuit bene damnatus Photinus hæreticus, ſed edita non ſatis ſana Fidei formula ab Epiſcopis Arianis.

47. Tertium Conſtantinopolitanum quiniſextum in Trullo celebratum ann. 692. inſcio Rom. Pontifice. Hujus tamen aliquot Canones, quia ſanæ doctrinæ erant, fuerunt à Catholicis recepti. Dictum eſt quiniſextum, quia Patres per Canones quos condidêre, voluerunt ſupplere defectum (ut dicebant) quinti & ſexti Concilii præcedentis, quæ duo non fecerant Canones, ùt quatuor priora fecerant.

48. Quartum Francofordienſe 300. circiter Epiſcoporum anno 794. in quo, quæ de filiatione Chriſti naturali definita fuêre, ſine dubio ab Eccleſia ſunt approbata, non verò quod damnârit (quod aliqui factum negant) acta Nicæni II. circa cultum Imaginum.

49. Quintum Piſanum, non illud quod Piſis celebravit anno 1134.

Inn-

Innocentius II. contra Petrum Leonis Antipapam dictum Anacletum II. nec illud, quod anno 1511. contra Julium II. indixêre aliqui Cardinales, ſed aliud celebratum anno 1409. pro tollendo ſchiſmate. Cum enim Petrus de Luna dictus Benedictus XIII. & Angelus Corarius vocatus Gregorius XII. diu de ſupremo Pontificatu contenderent, nec vellent cedere pro bono pacis, ut in ſua electione promiſerant, nec alia ſupereſſet ſchiſmatis extinguendi ratio, Cardinales utriuſque partis Piſas convenerunt numero 23. cum tribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis 300. Monaſteriorum Præfectis 180. aliiſque Theologis multis, & Principum Europæ Legatis & prædictos duos Pontifices à Pontificatu dejecerunt. Hoc illegitimum vocant alii, alii legitimum. Certè inter veros Pontifices numaratur Alexander V. ab eo electus.

50. Sextum Conſtantienſe anno

1414. causâ prædicti ſchiſmatis adhuc durantis, & contra Wicleffitarum, & Huſſitarum hæreſes à Joanne XXIII. Alexandri V. ſucceſſore convocatum rogatu Sigiſmundi Imperatoris. In hoc Concilio prædictæ hæreſes damnatæ fuêre, ceſsêre Pontificatu Joañes XXIII. & Gregorius XII. fuítque è Pontificatu dejectus Benedictus XIII qui cedere ſpontè noluerat. Tandem fuit electus Martinus V. qui approbavit acta contra errores Wicleffi & aliorum, non vero quod ſeſſ. 4. & 5. decretum fuerat de poteſtate Concilii ſupra Pontificem.

51. Septimum Baſileenſe à Martino V. indictum, ſed ſub Eugenio IV. ſucceſſore inchoatum anno 1431. & ab eodem poſtea diſſolutum, adhuc tamen à Patribus continuatum. Hujus Concilii quædam acta pertinentia ad Beneficia Eccleſiaſtica, & Cenſuras confirmavit ſtudio pacis Nicolaus V. Eugenii ſucceſſor, non verò de-

decreta de Concilii ſupra Pontificem authoritate.

Ex his habes, ex quibus Conciliis poſſit, ex quibus non poſſit Theologus validum argumentum petere.

52. *Diſc.* Validúmne illud eſt, quod ex Conciliis particularibus petitur?

*Mag.* Concilia quidem particularia, ſeu Nationalia ſint, ſeu Provincialia, non ſunt infallibilis authoritatis, erraríntque aliquando. Sic erravit Carthaginenſe Concilium ſub Cypriano, quod Nationale fuit, & Epiſcoporum 85, quorum plerique in quæſtione Fidei fortiter ſe geſſerant, ùt hic notat Cardinalis Bellarminus. Horum tamen particularium Conciliorum decreta firma ſunt, dum aliquid etiam circa Fidem definiunt, ſi id faciant ex commiſſione, ſeu inſtructione Apoſtolicæ Sedis, ùt fecerunt Patres Concilii Arauſicani ſecundi, & Toletani primi, tempore Leonis I. & Synodi Complutenſis, tempore Sixti IV. & multò

magis, ſi deciſionem ſuam mittant ad Summum Pontificem, & ab eo confirmetur; quomodo factum eſſe in Conciliis Milevitano, & Carthaginenſi, conſtat ex S. Aug. epiſt. 90. 91. & 92.

Quamvis autem Concilia particularia ſint ex ſe fallibilia, adhuc tamen faciunt argumentum adeò probabile, ut temerarium ſit ei non acquieſcere, ſi præſertim ex illis ſint, quæ videntur ipſo uſu Eccleſiæ quodammodò probata, ùt Toletana, Bracharenſia, Arelatenſia, Hiſpalenſia, &c. Igitur ex his quoque validum argumentum petet Theologus quamvis non ita validum, ùt ex Conciliis Oecumenicis.

## *Quartus Locus Theologicus, Romanorum Pontificum definitiones.*

53. QUartum caput diximus eſſe Summorum Pontificum definitiones. Ut autem horum authoritatem rectè æſtimes, moneo primò: Petrum inter Apoſtolos jure Divino fuiſſe poſt Chriſti in cœlum aſcenſum viſi-

viſibile Eccleſiæ Caput & Principem, & eodem jure poſt Petri mortem tales fuiſſe, eſſe, & fore uſque ad finem mundi Petri ſucceſſores Romanos Pontifices.

54. Primum patet ex eo, quòd ſoli Petro dixit Chriſtus Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves Regni cœlorum*; eique ſoli dixit poſt reſurrectionem, Joan. 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* Et quoties in Evangelio recenſentur Apoſtoli, Petrus ponitur primo loco. Soli Petro facta eſt prima revelatio Divinitatis Chriſti. Soli Petro à Chriſto promiſſa eſt ſtabilitas Fidei & Cathedræ. Petro inter Apoſtolos primùm apparuit Chriſtus poſt reſurrectionem. Petrus ſuâ authoritate alios congregavit ad eligendum, qui Judæ ſuccederet in Apoſtolatu. Primus poſt Spiritûs Sancti adventum Evangelium prædicavit Judæis. Primum miraculum idem

apud Judæos fecit in Evangelii confirmationem. Primus in Concilio pro legalium ceſſatione ſententiam dixit: Accedit conſenſus Patrum hunc Petri in Eccleſia Primatum prædicantium, ùt videre potes apud Bellarminum, & aliòs

55. Alterum verò probatur 1. quia Chriſtus tradens Petro authoritatem, & formam regendi Eccleſiam, tradidit illam, ùt perpetuò duraturam, adeóque ùt transmittendam in ſucceſſores. Hinc Patres ſemper habuêre Romanos Pontifices, ùt Petri in Primatu Succeſſores. Quare S. Hieronymus epiſt. 67. ad Damaſum ſcribens, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior*. S. Auguſtinus epiſt. 163. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*. Et in Concilio Chalcedonenſi Patres unanimi voce clamârunt: *Petrus per Leonem locutus eſt*. & S. Bernardus lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium: *Tu Princeps Epiſcoporum, Tu poteſtate Petrus, nec modò*

*ovium,*

*ovium, ſed & Paſtorum omnium Tu unus Paſtor. Alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es.* Et in hoc ſenſu vocatur Pontifex Romanus univerſalis Epiſcopus, quatenus univerſæ Eccleſiæ curam gerit, non quatenus præter ipſum non ſit alius Epiſcopus. Hinc demum fuit ſemper ab univerſis Orbis terrarum Eccleſiis, Fidelium, ipſorúmque Epiſcoporum ad Romanum Pontificem recurſus, ùt ad ſupremum & univerſalem Paſtorem.

56. His moti Patres Concilii Florentini, ex Græcis & Latinis conflati magno conſenſu ſic definierunt P. 2. collat 22. *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri, Verticis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem exiſtere, & in univerſum Orbem tenere Primatum, eique in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro*

*noſtro JEſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.*

57. Petri autem Succeſſores fuêre hactenus, nempe uſque ad hunc præſentem annum 1710. ducenti quadraginta ſex, quorum hîc ſeriem ſubtexam deſignando annum, quo ad Pontificatum evecti fuêre.

| | |
|---|---|
| S. Linus | 67 |
| S. Cletus | 78 |
| S. Clemens | 91 |
| S. Anacletus | 101 |
| S. Evariſtus | 110 |
| S. Alexander | 119 |
| S. Sixtus | 130 |
| S. Teleſphorus | 140 |
| S. Hyginus | 152 |
| S. Pius | 156 |
| S. Anicetus | 165 |
| S. Soter | 173 |
| S. Eleutherius | 177 |
| S. Victor | 192 |
| S. Zephyrinus | 201 |
| S. Calliſtus | 219 |
| S. Urbanus | 224 |

S. Pon-

| | |
|---|---|
| S. Pontianus | 231 |
| S. Anterus | 235 |
| S. Fabianus | 236 |
| S. Cornelius | 251 |
| S. Lucius | 253 |
| S. Stephanus | 255 |
| S. Sixtus II. | 257 |
| S. Dionyſius | 258 |
| S. Felix | 270 |
| S. Eutychianus | 275 |
| S. Cajus | 283 |
| S. Marcellinus | 296 |
| S. Marcellus | 304 |
| S. Fuſebius | 309 |
| S. Melchiades | 311 |
| S. Silveſter | 314 |
| S. Marcus | 336 |
| S. Julius | 337 |
| S. Liberius | 352 |
| S. Felix II. | 355 |
| S. Damaſus | 367 |
| S. Siricius | 385 |
| S. Anaſtaſius | 398 |
| S. Innocentius | 402 |
| S. Zoſimus | 417 |

S. Bo-

| | | |
|---|---|---|
| S. | Bonifacius | 418 |
| S. | Cœleſtinus | 425 |
| S. | Sixtus III. | 432 |
| S. | Leo Magnus | 440 |
| S. | Hilarius | 461 |
| S. | Simplicius | 467 |
| S. | Felix III. | 483 |
| S. | Gelaſius | 492 |
| S. | Anaſtaſius II. | 496 |
| S. | Symmachus | 498 |
| S. | Hormiſdas | 514 |
| S. | Joannes I. | 523 |
| S. | Felix IV. | 526 |
| | Bonifacius II. | 529 |
| S. | Joannes II. | 532 |
| S. | Agapetus | 535 |
| S. | Silverius | 536 |
| | Vigilius | 537 |
| | Pelagius | 555 |
| | Joannes III. | 561 |
| | Benedictus | 575 |
| | Pelagius II. | 579 |
| S. | Gregorius Magnus | 590 |
| | Sabinianus | 604 |
| | Bonifacius III. | 607 |


S.Bo-

| | | |
|---|---|---|
| S. | Bonifacius IV. | 608 |
| S. | Deuſdedit | 616 |
| | Bonifacius V. | 620 |
| | Honorius I. | 626 |
| | Severinus | 640 |
| | Joannes IV. | 640 |
| | Theodorus I. | 642 |
| S. | Martinus | 649 |
| S. | Eugenius | 654 |
| S. | Vitalianus | 657 |
| | Adeodatus | 672 |
| | Donus | 677 |
| S. | Agatho | 679 |
| S. | Leo II. | 682 |
| S. | Benedictus II. | 685 |
| | Joannes V. | 686 |
| | Conon | 687 |
| S. | Sergius | 688 |
| | Joannes VI. | 702 |
| | Joannes VII. | 705 |
| | Siſinnius | 707 |
| | Conſtantinus | 708 |
| S. | Gregorius II. | 715 |
| S. | Gregorius III. | 731 |
| S. | Zacharias | 741 |

| | |
|---|---|
| Stephanus II. | 752 |
| Stephan. III. | 752 |
| S. Paulus | 757 |
| Stephanus IV. | 768 |
| Hadrianus | 772 |
| Leo III. | 795 |
| Stephanus V. | 816 |
| S. Paſchalis | 817 |
| Eugenius II. | 824 |
| Valentinus | 827 |
| Gregorius IV. | 828 |
| Sergius II. | 844 |
| S. Leo IV. | 847 |
| Benedictus III. | 855 |
| S. Nicolaus | 858 |
| Hadrianus II. | 867 |
| Joannes VIII. | 872 |
| Marinus | 882 |
| Hadrianus IV. | 884 |
| Stephanus VI. | 885 |
| Formoſus | 891 |
| Bonifacius VI. | 896 |
| *Baronius non numerat hunc inter Pontifices.* | |
| Stephanus VII. | 896 |

Roma-

| | |
|---|---|
| Romanus | 897 |
| Th odorus II. | 898 |
| Joannes IX. | 898 |
| Benedictus IV. | 900 |
| Leo V. | 904 |
| Chriſtophorus | 904 |
| Sergius III. | 905 |
| Anaſtaſius III. | 912 |
| Lando | 914 |
| Joannes X. | 915 |
| Leo VI. | 928 |
| Stephanus VIII. | 929 |
| Joannes XI. | 931 |
| Leo VII. | 936 |
| Stephanus IX. | 939 |
| Marinus II. | 943 |
| Agapetus II. | 946 |
| Joannes XII. | 956 |
| Leo VIII. | 963 |
| Benedictus V. | 964 |
| Joannes XIII. | 965 |
| Benedictus VI. | 972 |
| Donus II. | 964 |
| Benedictus VII. | 975 |
| Joannes XIV. | 984 |

Boni-

| | |
|---|---|
| Bonifacius VII. | 985 |
| Joannes XV. | 986 |
| Gregorius V. | 997 |
| Silveſter II. | 999 |
| Joannes XVI. dict. XVIII. | 1003 |
| Joannes XVIII. dict. XIX. | 1004 |
| Sergius IV. | 1009 |
| Benedictus VIII. | 1012 |
| Joannes XX. | 1024 |
| Benedictus IX. | 1033 |
| Gregorius VII. | 1045 |
| Clemens II. | 1046 |
| Damaſus II. | 1048 |
| S. Leo IX. | 1049 |
| Victor II. | 1055 |
| Stephanus X. | 1057 |
| Nicolaus II. | 1059 |
| Alexander II. | 1061 |
| S. Gregorius VII. | 1073 |
| Victor III. | 1087 |
| Urbanus II. | 1088 |
| Paſchalis II. | 1099 |
| Gelaſius II. | 1118 |
| Calliſtus II. | 1123 |
| Honorius II. | 1128 |

Inno-

| | |
|---|---|
| Innocentius II. | 1130 |
| Cœleſtinus II. | 1143 |
| Lucius II. | 1144 |
| Eugenius III. | 1145 |
| Anaſtaſius IV. | 1153 |
| Adrianus IV. | 1154 |
| Alexander III. | 1159 |
| Lucius III. | 1181 |
| Urbanus III. | 1185 |
| Gregorius VIII. | 1187 |
| Clemens III. | 1187 |
| Cœleſtinus III. | 1191 |
| Innocentius III. | 1198 |
| Honorius III. | 1216 |
| Gregorius IX. | 1227 |
| Cœleſtinus IV. | 1241 |
| Innocentius IV. | 1243 |
| Alexander IV. | 1254 |
| Urbanus IV. | 1261 |
| Clemens IV. | 1265 |
| B. Gregorius X. | 1271 |
| Innocentius V. | 1276 |
| Hadrianus V. | 1276 |
| Joannes XXI. | 1276 |
| Nicolaus III. | 1277 |

Mar-

Martinus II. dictus IV. ex duobus Martinis prædeceſſoribus. 1281
Honorius IV. 1285
Nicolaus IV. 1288
S. Cœleſtinus V. 1294
Bonifacius VIII. 1294
Benedictus X. dict. XI. 1303
Clemens V. 1305
Joannes XXII. 1316
Benedictus XI. dict. XII 1334
Clemens VI. 1342
Innocentius VI. 1352
Urbanus V. 1362
Gregorius XI. 1370
Urbanus VI. 1378
Bonifacius IX. 1389
Innocentius VII. 1404
Gregorius XII. 1406
Alexander V. 1409
Joannes XXIII. 1410
Martinus V. 1417
Eugenius IV. 1431
Nicolaus V. 1447
Calliſtus III. 1455

Pius

| | |
|---|---|
| Pius II. | 1458 |
| Paulus II. | 1464 |
| Sixtus IV. | 1471 |
| Innocentius VIII. | 1484 |
| Alexander VI. | 1492 |
| Pius III. | 1503 |
| Julius II. | 1503 |
| Leo X. | 1513 |
| Hadrianus VI. | 1522 |
| Clemens VII. | 1523 |
| Paulus III. | 1534 |
| Julius III. | 1550 |
| Marcellus II. | 1555 |
| Paulus IV. | 1555 |
| Pius IV. | 1560 |
| B. Pius V. | 1566 |
| Gregorius XIII. | 1572 |
| Sixtus V. | 1585 |
| Urbanus VII. | 1590 |
| Gregorius XIV. | 1590 |
| Innocentius IX. | 1591 |
| Clemens VIII. | 1591 |
| Leo XI. | 1605 |
| Paulus V. | 1605 |
| Gregorius XV. | 1621 |

| | |
|---|---|
| Urbanus VIII. | 1623 |
| Innocentius X. | 1644 |
| Alexander VII. | 1655 |
| Clemens IX. | 1667 |
| Clemens X. | 1669 |
| Innocentius XI. | 1676 |
| Alexander VIII. | 1689 |
| Innocentius XII. | 1691 |
| CLEMENS XI. | 1700 |

58. Ut autem faciliùs reperias eum Pontificem, cujus tempus quæris; proponam hìc eos ordine alphabetico.

A.

| | |
|---|---|
| Adeodatus | 672 |
| Adrianus I. | 772 |
| Adrianus II. | 867 |
| Adrianus III. | 884 |
| Adrianus IV. | 1154 |
| Adrianus V. | 1276 |
| Adrianus VI. | 1521 |
| Agapetus I. | 535 |
| Agapetus II. | 946 |
| Agatho | 679 |

Ale-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| | |
|---|---|
| Alexander I. | 119 |
| Alexander II. | 1061 |
| Alexander III. | 1159 |
| Alexander IV. | 1254 |
| Alexander V. | 1409 |
| Alexander VI. | 1492 |
| Alexander VII. | 1655 |
| Alexander VIII. | 1689 |
| Anacletus | 101 |
| Anaſtaſius I. | 398 |
| Anaſtaſius II. | 496 |
| Anaſtaſius III. | 912 |
| Anaſtaſius IV. | 1153 |
| Anicetus | 165 |
| Anterus | 235 |

B.

| | |
|---|---|
| Benedictus I. | 575 |
| Benedictus II. | 685 |
| Benedictus III. | 855 |
| Benedictus IV. | 900 |
| Benedictus V. | 964 |
| Benedictus VI. | 972 |
| Benedictus VII. | 975 |
| Benedictus VIII. | 1012 |
| Benedictus IX. | 1033 |

Benedictus X. dict. XI. 1303
Benedictus XI. dict. XII. 1334
Bonifacius I. 418
Bonifacius II. 529
Bonifacius III. 607
Bonifacius IV. 608
Bonifacius V. 620
Bonifacius VI. 896
*Baronius non numerat hunc inter Pontifices.*
Bonifacius VII. 985
Bonifacius VIII. 1294
Bonifacius IX. 1389

C.

Cajus 283
Calliſtus I. 219
Calliſtus II. 1123
Calliſtus III. 1455
Chriſtophorus 904
Clemens I. 91
Clemens II. 1046
Clemens III. 1187
Clemens IV. 1265
Clemens V. 1305
Clemens VI. 1342

Cle-

| | |
|---|---|
| Clemens VII. | 1523 |
| Clemens VIII. | 1591 |
| Clemens IX. | 1667 |
| Clemens X. | 1669 |
| CLEMENS XI. | 1700 |
| Cletus | 78 |
| Cœleſtinus I. | 425 |
| Cœleſtinus II. | 1143 |
| Cœleſtinus III. | 1191 |
| Cœleſtinus IV. | 1241 |
| Cœleſtinus V. | 1294 |
| Conon | 687 |
| Conſtantinus | 708 |
| Cornelius | 251 |

D.

| | |
|---|---|
| Damaſus I. | 367 |
| Damaſus II. | 1048 |
| Deusdedit | 616 |
| Dionyſius | 258 |
| Donus I. | 677 |
| Donus II. | 974 |

E.

| | |
|---|---|
| Eleutherius | 177 |
| Evariſtus | 110 |
| Eugenius I. | 654 |

| | |
|---|---|
| Eugenius II. | 824 |
| Eugenius III. | 1145 |
| Eugenius IV. | 1431 |
| Euſebius | 309 |
| Eutychianus | 275 |

F.

| | |
|---|---|
| Fabianus | 236 |
| Felix I. | 270 |
| Felix II. | 355 |
| Felix III. | 483 |
| Felix IV. | 526 |
| Formoſus | 891 |

G.

| | |
|---|---|
| Gelaſius I. | 492 |
| Gelaſius II. | 1118 |
| Gregorius I. | 590 |
| Gregorius II. | 715 |
| Gregorius III. | 731 |
| Gregorius IV. | 828 |
| Gregorius V. | 997 |
| Gregorius VI. | 1045 |
| Gregorius VII. | 1073 |
| Gregorius VIII. | 1187 |
| Gregorius IX. | 1227 |
| Gregorius X. | 1271 |

Gre-

| | |
|---|---|
| Gregorius XI. | 1370 |
| Gregorius XII. | 1406 |
| Gregorius XIII. | 1572 |
| Gregorius XIV. | 1590 |
| Gregorius XV. | 1621 |
| **H.** | |
| Higinus | 152 |
| Hilarius | 461 |
| *Vide* O. | |
| **I.** | |
| Innocentius I. | 402 |
| Innocentius II. | 1130 |
| Innocentius III. | 1198 |
| Innocentius IV. | 1243 |
| Innocentius V. | 1276 |
| Innocentius VI. | 1352 |
| Innocentius VII. | 1404 |
| Innocentius VIII. | 1484 |
| Innocentius IX. | 1591 |
| Innocentius X. | 1644 |
| Innocentius XI. | 1676 |
| Innocentius XII. | 1691 |
| Joannes I. | 523 |
| Joannes II. | 532 |
| Joannes III. | 561 |

| | |
|---|---|
| Joannes IV. | 640 |
| Joannes V. | 686 |
| Joannes VI. | 702 |
| Joannes VII. | 705 |
| Joannes VIII. | 872 |
| Joannes IX. | 898 |
| Joannes X. | 915 |
| Joannes XI. | 931 |
| Joannes XII. | 956 |
| Joannes XIII. | 965 |
| Joannes XIV. | 984 |
| Joannes XV. | 986 |
| Joannes XVI. dict. XVIII. | 1003 |
| Joannes XVIII. dict. XIX. | 1004 |
| Joannes XX. | 1024 |
| Joannes XXI. | 1276 |
| Joannes XXII. | 1316 |
| Joannes XXIII. | 1410 |
| Julius I. | 337 |
| Julius II. | 1503 |
| Julius III. | 1550 |

L.

| | |
|---|---|
| Lando | 914 |
| Leo I. | 440 |
| Leo II. | 682 |


Leo

| | |
|---|---|
| Leo III. | 795 |
| Leo IV. | 847 |
| Leo V. | 904 |
| Leo VI. | 928 |
| Leo VII. | 936 |
| Leo VIII. | 963 |
| Leo IX. | 1049 |
| Leo X. | 1513 |
| Leo XI. | 1605 |
| Liberius | 352 |
| Linus | 67 |
| Lucius I. | 253 |
| Lucius II. | 1144 |
| Lucius III. | 1181 |

M.

| | |
|---|---|
| Marcellinus | 296 |
| Marcellus I. | 304 |
| Marcellus II. | 1555 |
| Marcus | 336 |
| Martinus I. | 649 |
| Martinus II. | 882 |
| Martinus III. | 943 |
| Martinus IV. | 1281 |
| Martinus V. | 1417 |
| Melchiades | 311 |

N.

| | |
|---|---|
| Nicolaus I. | 858 |
| Nicolaus II. | 1059 |
| Nicolaus III. | 1277 |
| Nicolaus IV. | 1288 |
| Nicolaus V. | 1447 |

O.

| | |
|---|---|
| Ormiſdas | 514 |
| Onorius I. | 626 |
| Onorius II. | 1128 |
| Onorius III. | 1216 |
| Onorius IV. | 1285 |

P.

| | |
|---|---|
| Paſchalis I. | 817 |
| Paſchalis II. | 1099 |
| Paulus I. | 757 |
| Paulus II. | 1464 |
| Paulus III. | 1534 |
| Paulus IV. | 1555 |
| Paulus V. | 1605 |
| Pelagius I. | 555 |
| Pelagius II. | 579 |
| S. PETRUS | 45 |
| ius I. | 156 |
| Pius II. | 1458 |

Pius

| | |
|---|---|
| Pius III. | 1503 |
| Pius IV. | 1560 |
| Pius V. | 1566 |
| Pontianus | 231 |
| R. | |
| Romanus | 897 |
| S. | |
| Sabinianus | 604 |
| Sergius I. | 688 |
| Sergius II. | 844 |
| Sergius III. | 905 |
| Sergius IV. | 1009 |
| Severinus | 640 |
| Silveſter I. | 314 |
| Silveſter II. | 999 |
| Silverius | 536 |
| Symmachus | 498 |
| Simplicius | 467 |
| Siricius | 385 |
| Siſinnius | 707 |
| Sixtus I. | 130 |
| Sixtus II. | 257 |
| Sixtus III. | 432 |
| Sixtus IV. | 1471 |
| Sixtus V. | 1585 |

| | |
|---|---|
| Soter | 173 |
| Stephanus I. | 255 |
| Stephanus II. | 752 |
| Stephanus III. | 752 |
| Stephanus IV. | 768 |
| Stephanus V. | 816 |
| Stephanus VI. | 885 |
| Stephanus VII. | 896 |
| Stephanus VIII. | 929 |
| Stephanus IX. | 939 |
| Stephanus X. | 1057 |
| T. | |
| Teleſphorus | 140 |
| Theodorus I. | 642 |
| Theodorus II. | 898 |
| V. | |
| Valentinus | 827 |
| Vigilius | 537 |
| Vitalianus | 657 |
| Victor I. | 192 |
| Victor II. | 1055 |
| Victor III. | 1087 |
| Urbanus I. | 224 |
| Urbanus II. | 1088 |
| Urbanus III. | 1185 |

| | |
|---|---|
| Urbanus IV. | 1261 |
| Urbanus V. | 1362 |
| Urbanus VI. | 1378 |
| Urbanus VII. | 1590 |
| Urbanus VIII. | 1623 |

Z.

| | |
|---|---|
| Zacharias | 741 |
| Zephyrinus | 201 |
| Zoſimus | 417 |


59. Ex his Palæſtini fuêre 2.
Græci 11.
Itali 68.
Romani 102.
Germani 4.
Galli 15.
Anglus 1.
Hollandus 1.
Provincialis 1.
Hiſpani 3.
Africani 2

---

Benedictini 31.
Eremitæ 2.
Dominicani 3.
Franciſcani 4.

60. Ex eo autem, quòd Pontifex Romanus ſit verus Petri ſucceſſor, Eccleſiæ caput, & Paſtor ſupremus; ſequitur 1. quod ipſe ſit ſupra concilium: Patres enim in unum congregati non deſinunt eſſe oves, quarum cura Petro committitur: cui ſoli dictum fuit: *Paſce oves meas, confirma fratres tuos.* Quare jure optimo concilium Lateranenſe ultimum ſeſſ. 2. abrogatis Concilii Baſileenſis decretis contra Pontificis authoritatem factis, ſubdit. *Solum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac diſſolvendorum plenum jus, ac poteſtatem habere, nedum è Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum ſacrorúmque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.*

61. Sequitur 2. quod Pontificis definitiones ſint infallibiles abſque aſſenſu

ſu Concilii, nam cum Chriſtus Petrum, & in eo ipſius ſucceſſores fecerit Eccleſiæ Paſtores, eíſque dederit claves ſcientiæ, & poteſtatis, ſine fundamento aſſeritur, non eſſe illis datam poteſtatem abſolutam docendi, ſed conditionatam, & pendentem ab aſſenſu Concilii, Eccleſiæque ſibi ſubditæ; ut ſine fundamento diceretur, non tradi abſolutam poteſtatem docendi ei, qui in Univerſitate aliqua legitima, & approbata fit Doctor, & Cathedram actu accipit, & diſcipulos quos erudiat; nec tradi abſolutam poteſtatem condendi leges ei, cui ritè & legitimè confertur regia poteſtas per verba, & ſigna non denotantia ullam limitationem ſeu conditionem. Et confirmatur authoritate Conciliorum, quæ hanc in Pontifice Romano infallibilitatem agnoverunt. Concilium ſiquidem Chalcedonenſe lectâ S.Leonis Papæ epiſtolâ, quâ Eutyches damnabatur, acclamavit, *Anathema ei, qui ita non credit: Petrus per Leonem locutus*

*cutus*

*cutus eſt*, eique tanquam certiſſimæ Fidei regulæ ſubſcripſit actione 4. Idem fuit Concilii Conſtantinopolitani 2. ſenſus erga Pontificem Agapetum in cauſa Anthymi, & Concilii Oecumenici 6. erga Agathonem, de cujus litteris tota Synodus ait. *Quas ut à ſummo Apoſtolorum vertice divinitùs conſcriptas agnoſcimus.* Demùm pleræque hæreſes hoc modo damnatæ ſunt, nempe per ſolam Romani Pontificis ſententiam, quæ videlicet emerſerunt à tempore Apoſtolorum uſque ad Concilium Nicænum I. nempe Marcionis, Montani, Novatiani, aliorúmque: nullum enim eo tempore intermedio fuit Concilium generale celebratum. Sic aliæ multæ poſtea damnatæ fuêre, ut Pelagianiſmus, Semipelagianiſmus, Priſcillianiſmus, &c.

62. Sequitur 3. quòd, cùm Summo Pontifici ſit commiſſa cura Gregis, & hæc haberi non poſſit, niſi Gregi oſtendatur, quæ ſint bona paſcua, quæ mala, qui lupi ſint, quamvis eſſe

non

non videantur, & alia hujuſmodi; jam ad Pontificem pertinet, multa definire, quæ à nonnullis invidioſè ad quæſtionem facti pertinere dicuntur, licet reipſa ad quæſtionem juris pertineant ut e. g. quod hæc ſit vera Traditio Divina, hæc editio Scripturæ Sacræ ſit conformis ei quam Spiritus Sanctus dictavit; quod hic ſit ejus verus ſenſus; quod hæc Patrum ſcripta contineant ſanam doctrinam; ea verò Novatorum, e. g. Lutheri, Calvini contineant doctrinam pravam, hæreticam, quódque proinde ipſi una cum ſua doctrina ſpectati, habendi ſint hæretici, quemadmodum plura reipſa Concilia anathema dixerunt non ſolùm errori e. g. Arrii, Neſtorii &c. ſed etiam Arrio ipſi, Neſtorio &c. Refert enim Socrates c. 10. l. 1. Hiſt. Eccl. quòd, cùm in Synodo Nicæna aliqui Epiſcopi ſubſcriberent quidem damnationi hæreſis Arrianæ, ſed Arrio, ejúſque doctrinæ anathema dicere detrectarent, *Quòd minimè crederent, eum,*

*qui erat accuſatus, hominem ejus generis fuiſſe, qui tot errores doceret*, id ſatis fuit, ut Synodus illos pro Hæreticis haberet, & exilio mulctaret. Similitèr cum in Chalcedonenſi Concilio act. 8. Theodoretus anath ma Neſtorio dicere recuſaret, Patres clamârunt; *iſte hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt: hæreticum foras mittite*. Neque porrò illum pro Catholico habere voluêre; niſi diceret apertè anathema Neſtorio.

63. Quia verò non poteſt quis obligari ad dicendum anathema alicui ut hæretico, niſi obligetur ad internum judicium, quo judicet illum eſſe talem, ſeu ejus ſcripta verè hæretica eſſe, ſequitur 4. quod Eccleſia, & Pontifex obligare etiam poſſit ad ejuſmodi actum internum; ac proinde teneri fideles in hujuſmodi deciſionibus non ſolùm præſtare ſilentiũ obſequioſum, ſed animo verè aſſentiri, quòd nempe ſcripta illa hæreſim contineant, adeóque quòd eorum auctor ſpectatâ

tâ ejus doctrinâ, hæreticus ſit. Atque hæc ſcilicet ſunt, quæ à Theologis appellantur non facta ſimpliciter ſed facta dogmatica, quæ videlicet ad fidei doctrinam pertinent.

64. Hìc adverte 1. quòd non, quidquid Eccleſia, aut Pontifex damnat circa doctrinam, eodem modo damnat. Nam aliquando damnat aliquam propoſitionem ùt *hæreticam*, nempe ùt oppoſitam formaliter, & directè doctrinæ Fidei, ſeu doctrinæ ab Eccleſia definitæ. Aiquando damnat aliquam propoſitionem, ùt *erroneam*, nempe ut contrariam communi Patrum doctrinæ, licèt non expreſsè revelatæ, aut per Eccleſiam definitæ. Aliquando ùt *errori proximam*, nempe ferè contrariam communi Patrum ſententiæ. Aliquando ùt *ſuſpectam hæreſis, vel erroris*, vel ùt *ſapientem hæreſim vel errorem*, ex circumſtantiis ſcilicet perſonæ, loci, vel temporis, quibus prolata fuit. Aliquando ùt *malè ſonantem*, quæ videlicet, etſi ſenſum non

non habeat Fidei diſſonum, at verba habet incongrua. Aliquando ùt *temerariam*, ſeu ſine fundamento dictam. Aliquando demùm ùt *ſcandaloſam*, quæ videlicet dat aliis occaſionem ruinæ ſpiritualis.

65. Adverte 2. quòd non quicquid Pontifex approbat, approbat ùt Divinâ fide credendum. Conſtat enim Summam Theologicam Alexandri Alenſis, juſſu Alexandri IV. à Facultate Pariſienſi examinatam eſſe, appensíſque ſeptuaginta duorum Magiſtrorum ſigillis approbatam fuiſſe, ac poſtea Pontificio ipſo diplomate confirmatam. Similiter Theologiam S. Thomæ à variis Pontificibus, ſummis laudibus approbatam & celebratam fuiſſe, & præſertim à Joanne XXII. Innocentio VI. Clemente VIII. & Alexandro VII. quorum primus dixit, D. Thomam *tot miracula feciſſe, quot articulos ſcripſit*. Secundus: *nunquam inventum eſſe, quòd à tramite veritatis deviaverit, qui D. Thomam tenuit; eum*

*verò*,

*verò, qui eum impugnavit, ſemper fuiſſe de veritate ſuſpectum*; Tertius in Bulla ad Nobiles Neapolitanos, teſte Baſilio Pontio, *Doctrinam* S. Thomæ *ſine ullo prorſùs errore eſſe*. Quartus, *Aſſerta* S. Thomæ *eſſe dogmata inconcuſſa*. Approbatam, & laudatam ſimiliter fuiſſe à Clemente IV. Gregorio X. Sixto IV. & Sixto V. S. Bonaventuræ doctrinam. Nec tamen contra Fidem Divinam peccat, qui in aliquo ab horum Doctorum ſententia diſcedit.

66. *Diſc.* Quid ergo declaravit Pontifex in his & ſimilibus approbationibus?

*Mag.* Declaravit eos libros approbatos nihil continere contrarium illis, quæ uſque ad illud tempus Eccleſia definierat, nihil bonis moribus contrarium, imò continere doctrinam Fidei dogmatibus explicandis, & promovendæ pietati peropportunam.

67. Adverte 3. non ſemper Pontificem dum aliquid docet, ex Cathedra definire, ſeu docere, ut Eccleſiæ docto-

Doctorem, & Paſtorem; ſed aliquando docere præcisè ùt doctorem privatum. Sunt enim aliqui Pontifices qui ſcripta ſua vel Theologica, vel Canonica edidêre, ut Innocentius IV. aliíque, nec tamen quæ continentur in illis, Pontificiæ definitionis vim habent.

68. *Diſc.* Quando cenſendus eſt Pontifex loqui ex cathedra, ac definire tanquam Eccleſiæ Paſtor, & caput?

*Mag.* Reſpondet huic quæſtioni Valentia 2. 2. qu. 1. punct 7. §. 39. dicens: *Tunc verò definit Summus Pontifex ut Eccleſiæ caput, quando decretum edit pro univerſa Eccleſia, quódque velit à Fidelibus indubitanter admitti.* Idem docet Granado 2.2. controv. 1. tract. 7. diſp. 2. ſect. 1. n. 1. Similiter Suarez contra Regem Angliæ lib. 1. cap 3. n. 16. docet, tunc Pontificem definire ut caput Eccleſiæ, cum *definit, vel approbat tanquam credendum vel obſervandum ab univerſa Eccleſia.* Vide Melch.

Can-

Canum lib. 6. de locis Theolog. cap. 8. in reſponſ. ad ultimum argum.

69. Quamvis autem Pontifices aliquando reſponſa ſua vel conſtitutiones dirigant ad particularem Eccleſiam, cum tamen aliquid docent & ſtatuunt, quod omnes generaliter afficit, & ut ab omnibus certò tenendum vel ſervandum, jam reſponſum & conſtitutio vim certæ definitionis habere videtur. Hinc ſemper Eccleſia hujuſmodi reſponſa, ſeu conſtitutiones ut Fidei morúmque regulas venerata eſt.

70. *Diſc.* Quandoquidem de hujuſmodi Pontificum epiſtolis, Reſponſis ſeu conſtitutionibus ſermo incidit, cupio perdiſcere, an Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, & à S. Clemente fuêre collecti, ſint verè Apoſtolici, vel ipſius S. Clementis, aut alterius Pontificis?

*Mag.* Fuêre quidem hi 85. Canones ſub initium ſexti ſæculi ab Eccleſia Græca recepti, ut verè Apoſtolici, & ſal-

ſaltem 50. priores cœperunt eodem tempore recipi à multis in Eccleſia Latina: adhuc tamen hodie ab eruditis ferè omnibus habentur omnes ut ſuppoſititii, nec verè collecti à D. Clemente; quamvis multa utilia contineant. 1. quia Gelaſius Papa in concilio Rom. 70. Epiſcoporum eos recenſet inter libros ab Eccleſia rejectos, & non probatos. 2. quia nullus priorum ſæculorum Scriptor eorum meminit, etiam cùm debuit maximè meminiſſe; cùm nempe ageretur de controverſia per hos Canones definita. e. g. Cyprianus in controverſia Baptiſmatis non meminit unquam canonis 46. expreſsè dicentis, *Epiſcopum, aut Presbyterum hæreticorum ſuſcipientem Baptiſma damnari præcipimus.* Nec Victor Papa in ea tam celebri controverſia cum Aſiaticis Epiſcopis de Paſchate celebrando, allegavit unquam canonem 7. qui vetat Paſcha cum Judæis celebrare, qui ſanè Canones allegari maximè debuiſſent. 3. quia S. Iſidorus Hiſpa-

Hiſpalenſis expreſsè aſſerit, hos Canones nec à Sede Apoſtolica recipi, nec à SS. Patribus, & eſſe ab Hæreticis confictos.

Nec obſtat, quod Patres, & Concilia aliquando aliquam conſtitutionem, ſeu Regulam appellent Apoſtolicam: non enim negamus, ab Apoſtolis verè conditos fuiſſe aliquos Canones, ſed negamus hujuſmodi eſſe prædictos, ac dicimus, certum eſſe, quòd aliqui non ſunt; de aliis incertum, ac proinde prædictam collectionem iſtorum Canonum, imò & 50. priorum apocrypham eſſe, nec ſolùm non habere auctoritatem juris Apoſtolici, ſed neque Pontificiam, nempe conditi à Pontificibus Romanis, quorum etiam Conſtitutiones vocantur quandoque Apoſtolicæ, ùt illæ appellantur, quæ octo libris ſub ejuſdem D. Clementis nomine ſunt collectæ.

7. *Diſc.* At has ego putaveram eſſe ipſorum Apoſtolorum.

*Mag*. Quia videlicet non legiſti omnes. Igitur Apoſtolorum non ſunt 1. quia continent nonnullos errores, ut hæreticos eſſe illos, qui ſuſpicantur, JEſum eſſe DEum ſuper omnia; Baptiſmum ab Hæreticis collatum iterari debere; Sabbathum eâdem ſolemnitate, quâ diem Dominicam celebrari; Patrem eſſe Dominum Spiritûs Sancti. 2. quia dies feſtos ipſis Apoſtolis ſtatuunt. 3. quia non videntur notæ fuiſſe priorum Eccleſiæ ſæculorum Patribus: ſi enim notæ fuiſſent, non dixiſſet Irenæus in ſuo cum Triphone dialogo, Sabbathi celebrationem eſſe Chriſti paſſione extinctam: & Cyprianus eas contra Stephanum Papam allegaſſet. Ex hoc autem primo & tertio argumento habetur, nec eſſe illas Clementis Pontificis fætum. Adde quod neque S. Epiphanius, neque S Hieronymus eas Clementi tribuunt, quamvis uterque ſcripta hujus S. Pontificis recenſeat omnia.

72. *Diſc.*

72. *Diſc.* Quod tandem eſt eruditorum judicium, de veterum Pontificum uſque ad Siricium decretalibus, audivi enim eas non ſatis certæ authoritatis eſſe.

*Mag.* Non ſunt quidem authoritatis certiſſimæ, non tamen tam incertæ, quàm ſunt prædicti Canones & Conſtitutiones. Referam diverſas eruditorum opiniones. Suppoſititias eſſe putant aliqui has antiquorum Pontificum epiſtolas decretales 1. quòd nullus octo priorum ſæculorum auctor Eccleſiaſticus illarum mentionem fecerit. 2. quòd in his laudatur ſæpè Scriptura ſacra juxta vulgatam Sancti Hieronymi verſionem. 3. quòd in his nullus Hæreticus eorum temporum impugnatur, aut nominatur. 4. quòd Dionyſius Exiguus veterum Pontificum epiſtolarum collector accuratus ſuæ collectionis initium ducit à Siricii decretalibus, nullâ earum, quæ Siricium prædeceſsêre, mentione fa-

ctâ. 5. quod videantur continere dicta poſteriorum Pontificum, ſeu Conciliorum, Patrúmque.

Alii econtra genuinas eas habent. 1. quòd ùt tales eas agnovêre varia Concilia, nempe Aquiſgranenſe ſub Greg. IV. habitum, Colonienſe cap. 3. Moguntinum c. 11. Metenſe c. 5. Rhemenſe contra Arnulphũ, & his omnibus antiquius Romanum 70. Epiſcopor. ſub Gelaſio an. 494. 2. quod eas ùt genuinas admittant Canonum collectores eruditi Anſelmus Lucenſis, Burchardus, Ivo, Gratianus, & rurſùs etiam Theologi communiter cum D. Thoma, qui his epiſtolis utitur ad confirmanda Fidei dogmata. 3. quod Leo Magnus ep. 1. ad univerſos Epiſcopos mandat cuſtodiri omnia ſuorum Prædeceſſorum *decretalia conſtituta*, quod idem mandat Nicolaus I. ep. 47. ſcribens ad Epiſcopos Galliæ; qui ſi ſuppoſititia eſſe putaſſent, id ſine dubio Nicolao, à quo urgebantur, reſpondiſſent;

quod

quod tamen non fecêre; imò ea uterque Hincmarus Rhemenſis, & Laudunenſis laudat. Hæc ſanè evincunt non eſſe tam facilè has epiſtolas reiiciendas, ùt aliqui faciunt, imò eſſe veneratione dignas, & ex his benè conſici argumentum Theologicum valdeprobabile, ut ii ipſi fatentur, quibus non ſatis certus eſt earum auctor.

*Diſc.* Sed quid de decretis congregationum Cardinalium editis in materia Fidei, aut morum jubente ipſo ſummo Pontifice? Petétne ex illis Theologus certum argumentum? Atque hìc locus eſt, in quo de Cardinalium origine, munere, & auctoritate ſtrictim, & quantum ſatis ſit, me doceas.

73. *Mag.* De horum origine varii varia opinantur. Eos cœpiſſe volunt aliqui à S. Gregorio, alii à S. Silveſtro, à S. Marcello alii, nonnulli à S. Pontiano. Eugenius IV. in epiſtola ad Cantuarienſem Archiepiſcop. dicit, Cardinalium nomen non

fuiſſe quidem primis naſcentis Eccleſiæ temporibus expreſſum, munus tamen, & officium à S. Petro Apoſtolo, & ſucceſſoribus ejus evidenter inſtitutum. Et quidem quod attinet ad nomen, certum eſt quod nullibi reperitur Cardinalium mentio facta ante Concilium Romæ ſub Sylveſtro habitum anno 324. in quo can. 7. præcipitur, ut *Diaconi non ſint plures per Parochiarum examen, niſi duo, & Cardinales Urbis Romæ ſeptem.* Primi Cardinales videntur fuiſſe ſoli Diaconi, iique procuratores pauperum, pupillorum & viduarum ſuæ regionis, dicti proinde *Regionarii.* Poſtea creſcente numero Fidelium & Presbyterorum primus Parochiæ ſeu tituli Presbyter, qui cæteris ſui tituli Presbyteris præeſſet, dictus fuit Presbyter Cardinalis. Tandem non ſub Honorio II. ut opinantur aliqui, ſed circa, vel paulò ante Petri Damiani Cardinalis, & Oſtienſis Epiſcopi tempora, nempe circa an. 1057. addi-

additi fuêre Epiſcopi Cardinales, cum videlicet fuêre deſignati ſeptem Urbis Romæ viciniores Epiſcopi, qui aſſiſterent ſummo Pontifici, eúmque in curis & laboribus ſtudio, & conſilio ſublevarent.

74. Numerus autem ſic electorum varius fuit pro varietate temporum. Sub Bonifacio VIII. fuêre Cardinales ſoli 20. Eo tempore, quo Avenione ſedebant ſummi Pontifices, fuêre 30. Ne plures quàm 34. in poſterum forent ſtatuerunt Conſtantienſis Concilii Patres ſeſſ. 40. Sub Leone tamen X. qui una ſola Cardinalium promotione creavit 31. viſi ſimul fuêre Cardinales 65. ſub Paulo IV. numerati fuêre 70. & ſub Pio IV. 76. Tandem Sixtus V. ſpeciali conſtitutione decrevit, ne plures pauciorésque forent in poſterum Cardinales quàm 70. ùt 70. fuêre ſeniores de populo Iſraëlitico Moÿſi Collaterales, & Aſſiſtentes, de quibus Num. cap. 11. ver. 16. ita Moyſi Deus. *Con-*

*grega mihi 70. viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac Magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam, & loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, tradámque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.*

Is numerus modò perſeverat. Sunt autem ex Diaconorum ordine 14. ex ordine Presbyterorum 50. & ex Epiſcoporum ordine ſex, videlicet antiqui viciniores Romanæ Urbis Epiſcopi, Oſtienſis, Veliternus, Portuenſis, Tuſculanenſis, Sabinenſis, Prænestinenſis, & Albanenſis. Sed inter eos non computatur ſeorſim Veliternus Epiſcopus, ex quo Eugenius III. Oſtienſi Veliternum univit Epiſcopatum.

Ex his conficiuntur variæ Congregationes, pro varietate controverſiarum, quæ ad Pontificem deferuntur, ut in his momenta rationum expendantur, antequam vel ab ipſis Con-
gre-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gregationibus, vel à Romano Pontifice ſententia feratur. Sunt autem ſeptem præcipuè.

75. 1. Sancti Officii, ſeu ſacræ & univerſalis inquiſitionis rebus Fidei proſpiciendis occupata, à Paulo III. erecta, & à Paulo IV. confirmata.

2. Propagandæ Fidei, Miſſionibus vel inſtituendis, vel conſervandis, vel dirigendis in regionibus infidelium, cæteríſque, quæ Fidei propagationem juvare poſſint, intenta, à Gregorio XV. inſtituta.

3. Concilii, ad quam referuntur dubia, & quæſtiones circa decreta Concilii Tridentini pertinentia ad diſciplinam.

4. Epiſcoporum & Regularium; cauſis videlicet Epiſcoporum & Regularium decidendis occupata.

5. SS. Rituum, cui cura ſacrarum Eccleſiæ cæremoniarum & conſuetudinum. Ad hanc quoque pertinet expendere merita eorum, qui propo-

nuntur, ut inter Beatos, vel Sanctos referantur.

6. Indicis librorum prohibitorum, quæ ſuſpendit, vel prohibet, vel corrigit libros hac notâ dignos.

7. Immunitatis Eccleſiaſticæ, controverſias ſcilicet hac ſuper re occurrentes dirimens, aut ad Pontificem referens, ab Urbano VIII. inſtituta.

76. Omitto alias, quæ minùs faciunt ad rem præſentem, eáſque, quæ pro temporum neceſſitate inſtituuntur, & perpetuæ non ſunt. Ut autem reſpondeam quæſtioni, quam propoſuiſti, dico, harum Congregationum decretis eſſe omninò parendum, &, ſi prodeant de mandato & nomine Summi Pontificis, qui eſt Caput prædictarum Congregationum, habere inviolabilem authoritatem, ùt probat Joannes Cardenas ea diſſert. 1. ſuæ Criſis num. 99. & ſequ. quem conſulere potes. Satis enim pro inſtituto noſtro actum eſt de Pontificum definitionibus, decretíſque.

*Quin-*

## *Quintus Locus Theologicus, Patrum Doctrina.*

NUnc agendum de alio loco Theologico, eóque luculentiſſimo, nempe Patrum Doctrina.

77. Nomine autem Patrum Eccleſiæ non intelligimus hîc Apoſtolos, neque Pontifices quoſcunque, nec eos ſolos, quos eſſe Eccleſiæ Doctores expreſsè declaravit Eccleſia, ùt ſunt Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Auguſtinus, &c. ſed eos omnes, qui poſt Apoſtolos cum inſignis doctrinæ & ſanctitatis fama circa Fidem aut mores ſcripsêre.

78. Hi quidem ſeorſim falli potuêre, nec ullus ex ipſis quantumvis doctiſſimus & ſanctiſſimus, eſt infallibilis, ùt expreſsè docent S. Hieronymus in epiſt. ad Gteſiphontem, & S. Auguſtinus ep. 19. ad S. Hieronymum, & alibi. Et patet primò, quia nullus ipſorum habet ex ſe, aut ex ſanctitate & doctrina, aut ex DEI promiſſo hanc infallibilitatem. Secundò quia con-

ſtat, aliquos ex ipſis interdum in aliquibus errâſſe.

Addo, nec eſſe infallibiles, quamvis multi ex ipſis conveniant in eandem ſententiam: nullum enim eorum infallibilitatis argumentum habemus, conſtátque multos conveniſſe in doctrina rejecta, cujuſmodi fuit exempli gratiâ, ſententia Chiliaſtarum, ſeu Millenariorum, putantium, Chriſtum cum ſuis Sanctis poſt reſurrectionem in terris per mille annos gaviſurum. Quamvis autem nec ſinguli, nec multi ſimul, refragantibus aliis, conficiant argumentum infallibile, faciunt tamen etiam ſinguli argumentum valdè probabile, cùm quidquam docent, ab aliis non negatum.

Si verè omnes in aliqua doctrina pertinente ad Fidem, vel mores, conveniant, in ea infallibiles ſunt. Quia verò non eſt ita facile, verum Patrum ſenſum aſſequi, ac proinde cognoſcere, quando ſit eorum in aliqua controverſia conſenſus, ideò requiritur defi-

definitio Conciliorum, vel Pontificum.

79. Et quidem ſuperbis præſertim & pervicacibus, nec expendentibus, quæ expendenda ſunt, valdè periculoſa eſt lectio Patrum. Ut id mali caveas, dum eos legis, expende primò, quando ſcripſerint: ſic aliqua in ipſis excuſabis, quæ modò poſt novas Eccleſiæ definitiones dicenda non eſſent. Ut autem id facias, ſubtexam hîc Indicem Patrum ſaltem celebriorum. Secundò, contra quos, vel quâ occaſione ſcripſerint; ſic temperabis ea, quæ ſignificantiùs ſcripta videntur, temporis enim & erroris, qui refellendus erat, ratio ſic expoſcebat. Tertiò, ne facilè in obſcuris de vero ſenſu pronuncies, ſed poſtquàm in illius Patris ſcriptis fueris diu, multúmq; verſatus; habent enim ſinguli ſuas phraſes, ſuos dicendi characteres, non cuique notos, ſed ſoli lectori verſato & familiari. Quartò, ſic lege Patres, ut habeas ſemper præ oculis Eccleſiæ, & Ponti-

tificum definitiones, nec has, quæ clariſſimæ ſunt, & habent infallibilem authoritatem ex illis, ſed illos ex his explices, & benignè exponas. Id ſi feciſſent Novatores, Novatores haudquaquam fuiſſent. Quintò, ſi librum translatum legeris, vide cujus fidei, vel famæ ſit translator. Si enim hæreticus ſit, vel ſuſpectus, ſuſpectam habeas translationem ipſam. *Solent enim hæretici*, (monet Cardinalis Bellarminus de Script. Eccl. in S. Maximo Martyre) *in Auctoribus bonis transferendis ſæpè ad ſuos errores ſententias auctorum bonorum accommodare.* 6. Cave, ne dubia Patrum ſcripta, vel ſuppoſititia legas pro certis & germanis. Multa enim eis tribuuntur, quæ eorum non ſunt. Hæc infrà notabo in ſingulis, ubi enumerabo certa, reliqua habere potes ùt non ſatis certa; econtra ubi recenſebo incerta, reliqua habere potes pro certis, aut ferè certis. Eorum autem Patrum, quorum non facio mentionem, opera habere potes pro certis

& ge-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& genuinis, ſed anteà ipſorum Patrum, ſaltem celebriorum, indicem dabo.

*Index Chronologicus & Alphabeticus Patrum celebriorum.*

80 S. Ambroſius floruit anno 374.
S. Anſelmus Cantuarienſis, 1081.
S. Athanaſius, 340.
S. Auguſtinus, 420.
S. Baſilius Magnus, 370.
Beda Venerabilis, 751.
S. Bernardus, 1130.
S. Bernardinus, 1438.
S. Bonaventura, 1275.
S. Cæſarius Arelat. 499.
Clemens Alexand. 204.
S. Clemens Romanus, 92.
S. Cyprianus, 250.
S. Cyrillus Alexandr. 430.
S. Cyrillus Hieroſol. 365.
S. Dionyſius Alex. 250.
S. Dionyſius Areop. 71.
S. Ephrem Syrus, 365.
S. Epiphanius, 370.
S. Eucherius Ep. Lugdun. 440.

S. Eulogius Mart. 850.
S. Fulgentius; 500.
S. Gelaſius Papa, 492.
S. Germanus Conſtantinop. 720.
S. Gregorius Magnus, 600.
S. Gregorius Nazianz. 370.
S. Gregorius Nyſſen. 380.
S. Gregorius Thaumat. 233.
S. Gregorius Turon. 596.
S. Gregorius II. 714.
S. Hieronymus, 390.
S. Hilarius 355.
S. Hildephonſus Ep. Tolet. 658.
Hugo de S. Victore, 1130.
Idiota, 902.
S. Ignatius Martyr, 71.
S. Ildephonſus, *vide* Hildephonſus.
Innocentius III. 1200.
S. Joannes Chryſoſtomus, 398.
Joannes Climacus, 560.
S. Joannes Damaſcenus, 731.
S. Irenæus Martyr, 180.
S. Iſidorus Hiſpalenſis, 630.
S. Juſtinus Mart. 150.
S. Laurentius Juſtinianus 1440.

S. Leo I. Papa, 440.
S. Maximus Ep. Taurinenſis, 420.
S. Maximus Martyr, 650.
S. Methodius, Ep. & Mart. 285.
S. Nicephorus Ep. Conſtant. 811.
Nicolaus II. Papa, 858.
S. Nilus Abbas, 445.
S. Optatus Milevitanus, 365.
S Pachomius, 340.
S. Paulinus Nolanus, 420.
Paulinus Aquilejenſis Ep. 780.
Petrus Bleſenſis, 1177.
Petrus Abbas Cluniac. 1130.
S. Petrus Chryſologus, 440.
S. Petrus Damiani, 1060.
S. Polycarpus Mart. 71.
S. Proſper Aquitanus, 460.
Richardus de S. Victore, 1030.
Salvianus Ep. Maſſilienſ. 460.
S. Sophronius, Epiſc. 630.
S. Theodorus Studita, 820.
S. Theophilus Ep. Antioch. 170.
S. Thomas Aquinas, 1265.
S. Vincentius Ferrerius, 1410.
Vincentius Lirinenſis, 440.

S. Ze-

S. Zeno Ep. & Mart. 260.

81. S. Ambroſi certò ſunt libri ſex Hexameron, de Paradiſo unus, de Cain & Abel duo, de Enoch & Arca unus, de Abraham Patriarcha duo, de Iſaac & Anima unus, de Bono mortis unus, de Fuga ſæculi unus, de Jacob, & vita beata duo, de Joſeph Patriarcha unus, de Benedictionibus Patriarcharum unus, de Elia & jejunio unus, de Nabuthe Iſraëlita unus, de Tobia unus, de interpellatione Job & David, libri quatuor, Apologia Prophetæ David, altera ejuſdem apologia, Enarrationes in Pſalmos 12. Expoſitio in Pſal. 118. Expoſitio in Evang. S Lucæ, de Officiis Miniſtrorum libri tres, de Virginibus ad Marcellinam libri tres, de Viduis unus, de Virginitate unus, de lapſu Virginis conſecratæ unus, de Myſteriis unus, de Sacramentis libri ſex, de Pœnitentia libri duo, de Fide, libri quinque, de Spiritu Sancto libri tres, de Incarnationis Dominicæ Sacramen-

mento unus, Fragmentum ex Theodoreto deſumptum, Epiſtolæ variæ num. 91 de exceſſu Fratris ſui Satyri libri duo, de obitu Valentiniani conſolatio, de obitu Theodoſii oratio funebris, demùm hymni aliquot. Hæc omnia continentur primo & ſecundo tomo editionis ultimæ Congregationis S. Mauri.

S. Anſelmi Cantuarienſis, certò ſunt Menologium, Proſologium contra Guannilonem, Dialogus de veritate, de libero arbitrio, de caſu Diaboli, de Grammatica, de Fide Trinitatis, & Incarnatione Verbi, cur Deus homo contra gentes, de conceptu & peccato originali, de proceſſione Spiritûs Sancti contra Græcos, de fermentato & azymo epiſtola, de diverſitate Sacramentorum altera epiſtola, de meditatione Redemptionis generis humani, de concordia præſcientiæ, prædeſtinationis, & gratiæ cum libero arbitrio, & epiſtolæ quàm plurimæ.

S. Athanaſii certò ſunt 1. quæ compre-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

prehenduntur tomo primo operum ipſius, exceptâ fortaſsè quâdam expoſitione Fidei; & reſponſione ad ep. Liberii Papæ. 2. quæ complectitur tomus ſecundus 3. quæ continentur tertio tomo, exceptis ſermonibus de SS. Deipara, & diſputatione Athanaſii cum Ario. In 4. autem tomo vix aliquid eſt, quod verè ſit Athanaſii. De Symbolo dubitant aliqui, an ejus ſit. Sed ejus eſſe probat Bellarm. de Script. Eccl. & latiùs Petrus Annatus in ſuo Methodico Apparatu.

S. Auguſtini fortè non ſunt ex primo tomo Regulæ, & de vita Eremitica. Ex ſecundo tomo aliquot epiſtolæ. Ex tertio liber de mirabilibus ſacræ Scripturæ, liber de eccleſiaſticis dogmatibus, liber de ſpiritu, & anima, liber de Fide ad Petrum, Quæſtiunculæ de Trinitate, & liber de benedictionibus Patriarcharum. Ex quarto liber ſententiarum 21. liber quæſtionũ 65. liber quæſtionum veteris & novi Teſtamenti, libri de Incarnatio-

natione Verbi, de Trinitate, & Unitate Dei, de eſſentia Divinitatis, de Fide rerum inviſibilium, de ſubſtantia dilectionis, de vera & falſa pœnitentia, de ſalutaribus documentis & de amicitia. Ex ſexto, libri de Altercatione Eccleſiæ, & Synagogæ, & de Fide contra Manichæos. Ex ſeptimo liber contra Fulgentium Donatiſtam, liber de prædeſtinatione & gratia, libellus de prædeſtinatione Dei, reſponſio ad articulos ſibi falsò impoſitos, Hypognoſticon, & liber de geſtis contra Pelagium. Ex nono in Apocalypſim Joan. homil. 18. Meditationum liber, de diligendo Deo, Soliloquiorum, Manuale, de triplici habitaculo, de Scala Paradiſi, de duodecim gradibus abuſionum, de Contritione cordis, de cognitione veræ vitæ, de ſpeculo, de vita Chriſtiana, de aſſumptione B. Mariæ, de cantico novo, de contemptu Mundi, de vanitate ſæculi, de obedientia & humilitate, de bono

no diſciplinæ, de viſitatione infirmorum, de conſolatione mortuorum, de quarta feria, de Cataclismo, de tempore Barbarico, de ſobrietate, ſpeculum peccatoris, de utilitate Pœnitentiæ, de conflictu virtutum & vitiorum, de laudibus charitatis, de Symbolo Fidei, de rectitudine Catholicæ converſationis, de utilitate jejunii, de creatione primi hominis, de arbore ſcientiæ boni & mali, de pugna animæ, de Antichriſto, Pſalterium Matri ſuæ, expoſitio ſuper Magnificat. Ex decimo tomo ſermones ad fratres in Eremo exceptis duobus de communi vita Clericorum qui eſt 52, & 53. Prædicta omnia aut non habentur pro genuinis, aut dubia ſunt, & incerta.

S. Bernardi opera dubia hæc ſunt; ad Fratres de Monte Dei Meditationes, de interiori domo, de ordine vitæ, de Scala Clauſtralium, formula honeſtæ vitæ, ſpeculum Monachorum, Sermones varii, Liber de conſcien-

ſtientia, deſcriptio Claræ Vallis, Lamentatio Virginis Mariæ, Doctrina S. Bernardi, Homilia de exeuntibus in Emmaus, de amore Dei, de natura & dignitate Divini amoris, Sermo de Paſſione Domini, Rhetorica S. Bernardi, de modo benè vivendi ad ſororem ſuam, de conſcientia Sermones 15. de diverſis argumentis, ſuper Salve Regina, epiſtola, in qua quid requirat Deus, Sermones 11. de oneribus.

S. Cæſarii Arelat. fortè non ſunt homiliæ, quadrageſima, & tres ſequentes, uti etiam ultima. Secunda etiam regula ejus eſſe non putatur.

S. Clementis Romani certò ſunt duæ tantùm epiſtolæ ad Corinthios.

S. Cypriani certò ſunt libri 4. epiſtolarum, & rursùs libri ſeu tractatus de diſciplina, & habitu Virginum, de lapſis, de unitate Eccleſiæ ſeu de ſimplicitate Prælatorum, de oratione Dominica, ad Demetrianum, de

Ido-

Idolorum vanitate, de immortalitate, de eleemoſina, de bono Patientiæ, de zelo, & livore, de exhortatione Martyrii ad Fortunatum, ad Quintum contra Judæos libri tres, Sententiarum ex Concilio Carthaginenſi de rebaptizandis hæreticis liber unus, ad Jubajanum de rebaptizandis Hæreticis, ad Pompejum contra epiſtolas Stephani Papæ.

S. Cyrilli Alexandrini non ſunt libri ſexdecim in Levit. nec quatuor libri intermedii ex duodecim in Joannem, nec fortaſſe liber adversùs Judæos, Breves anagogæ, & liber de Sacroſancta Trinitate.

S. Epiphanii ſunt, quæ ei attribuuntur, niſi fortè eſt aliquid additum ab Iconomachis ejus epiſtolæ ad Joannem Hieroſolymitanum.

S. Eucherii non ſunt commentarii in Geneſim, & in libros Regum.

S. Gelaſii Papæ non videtur eſſe liber de duabus Naturis contra Eutychetem.

S. Gre-

S. Gregorii Nazianzeni Metaphraſis, ſive Translatio in Eccleſiaſtem eius non eſt, ſed Gregorii Thaumat. nec ejus eſſe videtur Tragœdia, quæ inſcribitur *Chriſtus patiens.*

S. Gregorii Nyſſeni non ſunt libri octo de philoſophia, nec prolixa quædam oratio ei attributa à Magdeburgenſibus.

S. Gregorii Thumaturgi opera certa hæc ſola ſunt, Panegyricum in Origenem, Brevis Fidei confeſſio habita ex revelatione S. Jo. Apoſtoli, Metaphraſis in Eccleſiaſtem, tres ſermones de Annuntiat. B. Mariæ V. Sermo de Baptiſmo Chriſti. Epiſtola canonica.

S. Gregorii Turon. forte non eſt liber de ſeptem Dormientibus.

S. Hieronymi opera indubitata ſunt Novum Teſtamentum Græcum emendatum, & vetus translatum in idioma Latinum, epiſtolæ aliæ hortatoriæ, aliæ laudatoriæ, ſive funebres, quæ ſunt in primo tomo, aliæ polemicæ contra Helvidium, Jovia-

num, Vigilantium, Montanum, Pelagianos, &c. quæ habentur in 2. tomo, aliæ Divinæ Scripturæ explanatoriæ, quæ ſunt in 3. tomo, Commentaria in omnes ferè Scripturæ libros, ſúntque in tom. 4.5. & 6. Vitæ S. Pauli Eremitæ, S. Hilarionis, & S Malchi monachi, catalogus de Scriptoribus Eccl.

S. Hilarii Pictavienſis non ſunt epiſtolæ ad Auguſt nec carmen in Geneſ. nec fortaſsè libri duo de Patris & Filii unitate, & de eſſentia Patris & Filii.

Hugonis de S. Victore an ſint omnia, quæ ei attribuuntur, conſule notas, quæ in ipſius operibus extant.

S. Ignatii Martyris epiſtolæ ab omnibus Catholicis receptæ ſunt, ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphios ad Smirnæos, ad Policarpum.

S. Joannis Chryſoſtomi opera dubia, ſeu ſuppoſititia ſunt, Homiliæ aliquot in varios veteris Teſtamenti textus,

tus, nempe tres homiliæ in caput 2. Geneſ. tres aliæ in cap. 3. & nonnullæ aliæ à Sixto Sen. notatæ lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ, Commentaria, ſeu Homiliæ, ſeu ſermones 14. in Marcum, opus imperfectum in Matthæum, diviſum in 54. Homilias.

S. Joannis Damaſceni fortè non ſunt hæc duo, nempe Hiſtoria Barlaam, & oratio de his, qui in Fide dormierunt.

S. Iſidori certò ſunt liber de genere officiorum, liber præmiorum, liber de ortu, vel obitu Prophetarum, liber lamentationum, libri duo ad Florentiam ſororem, liber de natura rerum, liber differentiarum, liber quæſtionum, ſeu expoſitionis Sacramentorum, liber ethymologiarum. De reliquis libris, qui multi ſunt, dubitat Bellarminus.

S. Juſtini Mart. certò ſunt duplex oratio panegyrica ad gentes, Apologia pro Chriſtianis duplex, Dialogus cum Triphone, de Monarchia Dei liber unus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Leonis I. Papæ non eſt liber de conflictu virtutum & vitiorum, nec fortaſsè epiſtola 88. quæ eſt de privilegio Chorepiſcoporum.

S. Maximi Mart. ſunt, quæ ejus eſſe feruntur; aliqua tamen cautè legenda monet Bellarminus, quia ſunt ab hæreticis in Latinam linguam translata.

S. Methodii libellus revelationum ſuppoſititius cenſetur.

S. Proſperi fortaſsè non ſunt tres libri de prædictionibus & promiſſionibus Dei, item tres libri de vita contemplativa, liber, ſeu poëma de Providentia Dei, libri duo de vocatione gentium, & epiſtola ad Demetriadem.

Richardi Victorini an ſint libri quatuor exceptionum, dubitat Bellarminus.

D. Thomæ Aquinatis opuſcula dubia ſunt minori charactere excuſa in editione Romana, anno 1570. His addi poteſt aliud de regimine Principum, juxta Bellarminum.

D. Ze-

D. Zenonis ſermones aliqui creduntur eſſe S. Baſilii, aliqui S. Hilarii, alii veteribus Scriptoribus ignoti.

Jam verò, cùm in alicujus Patris ſententiam incidis, quæ in rem tuam facere videatur, eam ne afferas, niſi ſit ejus operis, quod eruditi inter certos prædicti Patris fœtus recenſent, alioquin argumentum Theologicum non conficies, & ab eruditis rideberis, ùt ſacræ antiquitatis ignarus.

### *Ultimus Locus Theologicus, Ratio.*

82. ULtimus Locus, unde Theologus argumenta depromit, eſt Ratio, partim lumine Fidei, partim naruralibus ſcientiis illuſtrata. Is autem Locus uberrimus eſt; Quamvis enim ſubjectum primarium, de quo Theologus ſpeculativus agit, ſit à Deo revelatum, & contentum in Scripturis & Patribus, multa tamen, imò pleraque circa tale ſubjectum diſputat, de quibus Scriptura & Patres non ita expreſsè agunt, aut non ita ex-

explicatè pro quæſtione propoſita. Exempli gratiâ, circa Incarnationem Verbi, quæ eſt materia principalis, de qua agit S. Thomas in 3. parte, multas quæſtiones movent Theologi, nempe an neceſſarium fuerit Verbum incarnari, ſaltem condito mundo, vel ſaltem permiſſo Adæ peccato, vel tandem ſuppoſito decreto, non reparandi genus humanum, niſi perſolutâ condignâ ſatisfactione? An hæc perſolvi poſſit à pura creatura, ſaltem ornatâ habitu gratiæ; An perſoluta fuerit à Chriſto, & ad quos effectus? an fuerit infinita? Qualis fuerit Verbi Divini cum Natura humana unio, an diſtincta ab extremis, an ſubſtantialis? an ipſa natura Verbi, an in ſola ejus Perſona, an facta in primo inſtanti, quo humana Chriſti natura concepta fuit? Quid ex hac unione reſultârit, quæ ſanctitas, quæ gratia, quæ dona in prædicta natura, quæ libertas? An plures naturæ creatæ aſſumi potuiſſent, an à pluribus Divinis Perſonis?
aliæ-

aliæque permultæ, quibus ferè non-niſi remotè, & per longos diſcurſus reſpondetur ex ſcripturis & Patribus, proximè autem ex ratione, nempe ex conceptu libertatis, ſeu dominii Divini, creaturæ, peccati, meriti, demeriti, ſatisfactionis, juſtitiæ, unionis, naturæ perſonæ; Quas quidem rationes & conceptus non habemus ſemper ex ſolis Scripturis & Patribus, ſed, ùt dicebam, ex noſtri intellectûs, & naturalium diſciplinarum lumine, quod quia non eſt in omnibus idem, illud efficit, ut nec eadem ſit Theologorum his ſuper quæſtionibus ſententia, ùt eſſet, ſi omnia poſſent ex Scripturis, vel traditionibus, vel Patribus dilucidè definiri.

*Diſc.* At cur iſta tractan ur, quæ non continentur clarè in Doctrina ſacra, quæque à Patribus tractata haud ita fuêre, nec poſſunt dilucidè & certò definiri? Quæ utilitas ex tot quæſtionibus, diſputationibus, contentionibúsque?

*Mag.* Utilitas hæc ſaltem inde exiſtit, ut præter laudabilem ingenii exercitationem habeatur in promptu, unde Novatorum errores expeditiùs, certiúsque refellantur, ut ex iis, quæ mox circa tertiam Theologicam Facultatem dicam, comperies. Non debeo tamen omittere, quæ in ſecundæ hujus Theologiæ laudem habet S. Auguſt. lib. de Trin. *Eâ*, inquit, S. Doct. *Fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Quâ ſcientiâ non pollent Fideles plurimi, quamvis polleant Fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodò, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æterna eſt; aliud autem ſcire, quemadmodùm hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur.*

TY-

# TYROCINII THEOLOGICI
## PARS III.
### *In qua agitur de Theologia Polemica.*

HUnc præcipuè fructum, ùt paulò antè innuebam, ex Theologia ſpeculativa decerpimus, nempe expeditam & facilem rationem pugnandi cum hæreticis. Quare ex Theologia ſpeculativa oritur Theologia Polemica, quæ hujuſmodi pugnam inſtituit, ac de omnibus Fidei controverſiis eos, qui cum Infidelibus diſputare velint, informat.

1. *Diſc.* Mihi quidem is animus non eſt; utile tamen fuerit ad quandam eruditionem, notitiam aliquam harum controverſiarum habere: quan-

do igitur utilitati meæ tam amanter conſulis, hanc mihi tradere ne graveris.

## §. I.

### *Proponuntur chronologicè Fidei Controverſiæ.*

PRima controverſia fuit cum Politheiſtis & Idololatris. Primus enim error in materia Fidei fuit eorum, qui plures admisêre Deos, hinc dicti Politheiſtæ; qui & creaturis affinxêre divinitatem, earúmq; imagines & idola cultu latriæ adoraverunt, hinc dicti idololatræ, quorum alii adoravêre maximas arbores pro Diis, ùt Indi: alii Solem, ùt Perſæ: alii beſtias terræ ùt Ægyptii, qui adoravêre crocodilos. Alii homines vel prudentiâ, vel virtute militari, aut aliâ dote naturæ, vel rebus utiliter geſtis nobiles, ùt primùm Aſſyrii, & poſteà Græci, Romaníque. Alii demùm dæmones ipſos in ſtatuis, aut ex adytis oracula reddentes, ùt populi innumeri.

2. Secunda fuit cum Atheis, omnem Divinitatem negantibus, dicentibúsque, mundum hunc univerſum ex atomis ab æterno & ex ſe exiſtentibus, ac tandem caſu in hunc rerum ordinem nexúmque conglobatis, extitiſſe. Hi fuêre Thales Mileſius, Anaximenes, Heraclitus & Empedocles Philoſophi Græci.

3. Tertia fuit cum Deiſtis, ſeu Philoſophis, qui omnem doctrinam à Deo revelatam rejecêre, ídque ſolùm profeſſi ſunt, & profitendum docuerunt, quod lumen rationis dictat, nempe unum Deum exiſtere, & inculpatè vivendum. De his videtur locutus D. Paulus, dum monet Coloſſenſes cap. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam*; hósque ſugillat S. Auguſtinus tract. 45. in Jo. *Fuerunt quidam philoſophi de virtutibus & vitiis ſublimia tractantes, qui etiam dicere auderent hominibus: nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis beatè vivere; ſed non intrabant per oſtium.* Horum

rum ſecta dicta eſt etiam Philoſophiſmus.

4. Quarta controverſia fuit cum Sadducæis & Samaritis, quorum primi negabant reſurrectionem mortuorum, ut ait Matthæus cap. 22. *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, non eſſe reſurrectionem.* Samaritæ autem oriundi ex Ethnicis, quos Salmanaſar abducens captivum Dei populum ex Palæſtina, in hanc regionem transmiſerat, ſic Judaicam Religionem ſuſceperant, ut ſuperſtitioſa multa & gentilitia retinerent, habiti proinde tanquam hæretici à Judæis; unde illud convitium in Chriſtum: *Nónne bene dicimus, quia Samaritanus es tu?* Joan: c. 8.

5. Quinta controverſia fuit poſt Chriſti adventum cum Hebræis negantibus, jam adveniſſe Meſſiam, credentibúsque, venturum tanquam Regem temporalem, qui alios Reges perdat, & Regnum Hebræorum temporale reſtituat, augeátque.

6. Sexta controverſia fuit cum Phariſæis ad Fidem Chriſtianam converſis, ſed retinentibus, contendentibúſque eſſe retinendam cum nova Chriſti lege, veteris obſervantiam, de quibus S. Luc. Act. cap. 15.

7. Septima controverſia fuit cum Simonianis, ſeu Simoniacis, qui Simone Mago magiſtro, dicebant, Mundum non à Deo, ſed ab Angelis fuiſſe conditum; non fore reſurrectionem mortuorum; licitum eſſe promiſcuum fœminarum uſum; dona gratiæ venalia eſſe. Ex hoc Simone innumeri orti ſunt errorum magiſtri, Cerinthus, Ebion, Menander & alii, qui circa an. 70. præter alios turpiſſimos errores docuerunt, Chriſtum fuiſſe purum hominem, ac proinde negârunt, eum cum Verbo Divino unam eandémque perſonam eſſe; de quibus Jo: ep. 1. cap. 4. v. 3. *Et omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.*

8. Octava controverſia fuit cum Nicolaitis, qui dicebant, licere fornicationem, & veſci Idololytis. Incertum eſt, an eorum auctor fuerit Nicolaus unus ex ſeptem Diaconis, de quibus mentio fit Act. cap. 6.

9. Nona controverſia fuit cum Saturnianis, & Baſilidianis, quorum primi auctore Saturnino Menandri diſcipulo circa annum 118. docuerunt, Chriſtum apparenter, & in ſpecie tantùm apparuiſſe; Baſilidiani verò authore Baſilide & ipſo Menandri diſcipulo circa an. 124. non ſolùm carnis reſurrectionem negârunt, ſed virginitati nuptias æquiparârunt; multa circa Incarnationem, Trinitatem, & Mundi creationem delirabant, & perſecutionis tempore Chriſtum citra culpam negari poſſe dicebant.

10. Decima controverſia fuit cum Millenariis, ſive Chiliaſtis, qui auctore quidem Cerintho, ſed aliis poſtea ſectæ propagatoribus, circa an.

130. docuerunt poſt reſurrectionem Chriſtum per mille annos regnaturum in terris cum Sanctis in deliciis, & voluptatibus corporis.

11. Undecima controverſia fuit an. circiter 150. cum Cerdonianis, Secundianis, Marcionitis, Valentinianis, & Gnoſticis demum omnibus, qui præter turpiſſima, quæ tanquam licita permittebant, videntur in eo conveniſſe, quod duo eſſent rerum principia, unum bonum, alterum malum, & quod Chriſtus Dominus non verè habuerit carnem humanam, ſed vel ſolùm apparentem, vel carnem quandam Cœleſtem, & impaſſibilem.

12. Duodecima controverſia fuit cum Quartodecimanis, dicentibus, Paſcha celebrandum eſſe 14. Luna, quocunq; hæc occurriſſet hebdomadæ die. Hi erant Epiſcopi Orientales. Contentio autem ortum habuit ſub Aniceto, aucta eſt ſub Eleutherio, viguítque uſque ad Victorem, qui

circa

circa an. 198. inſtituit, ut Paſcha celebraretur, non decimâ quartâ Lunâ more Judæorum, ſed die Dominico decimam quartam Lunam, & Æquinoctium vernale immediatè ſequente, prout ab Apoſtolis traditum erat, & obſervabat Eccleſia Romana. Nec acquieſcentibus adhuc multis Orientalibus Epiſcopis, fuit hoc ipſum in Nicæno I. ſancitum, & in aliis poſtea Conciliis confirmatum.

13. Decima tertia Controverſia fuit circa an. 173. cum Tatiano, ejúsque diſcipulis, qui docebant 1. Matrimonium malum eſſe, hinc Encratitæ appellati, id eſt continentes. 2. carnes quoque malas eſſe, & à malo principio, id eſt, à Dæmone creatas; ſimiliter vinum, ac proinde ab utroq; abſtinendum, quod ipſum docuit eodem tempore Severus, unde Severiani: Adamitæ quoque circa an. 194. auctore quodam Adamo, nudi incedentes nuptias exhorruêre, ſed interim

rim promiſcuos concubitus permittebant. Horum ſectam ſæculo 15. quidam Picardus renovare tentavit.

14. Decima quarta Controverſia fuit cum Montaniſtis ex Montano Phrygio ( unde dicti Phrygii, Phryges , & Cataphryges , id eſt, juxta Phryges ) qui circa an. 181. cœpit docere, ſibi, non Apoſtolis infuſam eſſe cum Spiritu Sancto gratiarum plenitudinem, ſecundas nuptias malas eſſe. Matrimonium poſſe diſſolvi, lapſos poſt Baptiſmum ſalutem conſequi non poſſe ſaltem per Miniſtros Eccleſiæ, &c. nova jejunia prædicabat tanquam neceſſaria, &c.

15. Decima quinta controverſia fuit cum rebaptizantibus, nempe docentibus Baptiſmum collatum ab Hæreticis non valere, ac proinde ab his baptizatos eſſe rebaptizandos. Horum auctor fuit circa an. 250. Agrippinus Carthag. Ep. cui & Cyprianus ſucceſſor adhæſit, antequam tamen hic error in hæreſim abiret.

16. De-

16. Decima ſexta controverſia fuit per eadem tempora, aut etiam antea cum aliquibus Epiſcopis rigidioribus, de quibus agit S. Cypr. ep. 54. ad Cornelium Papam, & epiſt. 52. ad Antonianum, qui aliquibus in majora quædam crimina prolapſis, & præſertim Apoſtatis, Mechis, & Homicidis veniam etiam in morte negandam contendebant.

17. Decima ſeptima controverſia fuit cum Novatianis qui circa an. 255. prædictum rigorem in omnia crimina extenderunt, addiderúntque, non eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, neque deberi baptizatos ſacro chriſmate confirmari, ſecundas nuptias vitandas ùt illicitas. Hujus hæreſis auctor fuit Novatianus Presbyter, & Pſeudopontifex Romanus, impulſu Novati Presbyteri Carthaginenſis.

18. Decima octava controverſia fuit cum Sabellianis, qui auctore

Sabellico circa ann. 260. docuerunt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unam perſonam cum tribus hiſce nominibus.

19. Decimanona controverſia fuit circa an. 273. cum Manichæis, qui hæreſim Cerdonianorum, Marcionitarum, Carpocratianorum, Gnoſticorum, aliorúmque prædictorum expreſſiùs docuerunt circa duo rerum principia coæterna, unum bonum, alterum malum, addiderúntque, nihil eſſe verè ſpirituale, ſed omnia eſſe corporalia; hominem non eſſe liberi arbitrii, & omnium peccatorum cauſam eſſe naturam mali principii; vetus Teſtamentum fuiſſe à malo principio, ideóque rejiciendum; ab eodem eſſe carnem & vinum; ac proinde ab utroque abſtinendum; animas migrare de corpore in corpus &c. Hujus ſectæ auctor fuit Manes, ſive Manichæus, qui ſe eſſe Spiritum Sanctum Paraclitum à Chriſto promiſſum dicebat.

20. Vi-

20. Vigeſima controverſia fuit circa annum 310. cum Donatiſtis, qui Magiſtro Donato in Numidia Epiſcopo docuerunt in Eccleſia eſſe ſolos bonos, imò eos ſolos, qui eſſent à parte Donati, & rursùs, Sacramenta à malis Miniſtris collata nulla eſſe.

21. Vigeſima prima controverſia fuit circa annum 320. cum Arrianis, quorum auctor Arrius Presbyter Alexandrinus dicebat; Verbum, Dei Filium, eſſe creaturam, non eſſe coæternum, nec conſubſtantialem Patri, & in Chriſto locò animæ fuiſſe ipſum Dei Verbum. Ex his orti fuêre circa annum 359. Semiarriani, qui ajebant cum Arrianis, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem, non tamen per omnia diſſimilem. Arrianiſmum renovârunt ſæculo decimo ſexto Joannes Campanus, Michaël Servetus Hiſpanus, Valentinus Gentilis Neapolitanus, Paulus Alciatus Mediolanenſis; & præſertim duo Socini Lælius, & Fauſtus nepos Senenſes, qui hunc errorem per

Po-

Poloniam præſertim, & Tranſylvaniam diſſeminârunt.

22. Vigeſima ſecunda controverſia fuit circa annum 340. cum Ærio, Ærianíſque, qui erroribus Arrii duos alios addidêre, dicentes, inutile eſſe, orare, & Sacrificium pro defunctis offerre, & Epiſcopis æquales eſſe Presbyteros. Aliqui hunc Ærium vocant Ætium.

23. Vigeſima tertia controverſia fuit circa idem tempus cum Photino Sirmienſi Epiſcopo, qui renovans errorem Cerinthi & Ebionis, docuit, Chriſtum non eſſe Deum, ſed purum hominem, addiditque cum Sabellio, Deum non eſſe trinum.

24. Vigeſima quarta controverſia fuit cum Macedonio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui anno circiter 359. docuit, Filium quidem eſſe Patri per omnia ſimilem, ſed Spiritum Sanctum eſſe creaturam.

25. Vigeſima quinta controverſia fuit anno circiter 367. cum Appolli-

nario,

nario Epiſcopo Laodicæno, qui hæreſim Arrii, & Macedonii ſimul conjungens docuit, Verbum Divinum accepiſſe carnem humanam ſine anima rationali, vel ſine mente, ut eſſet ipſum loco mentis, & Divinas Perſonas eſſe inæquales, magnum videlicet eſſe Spiritum Sanctum, majorem Filium, maximum Patrem.

26. Vigeſima ſexta controverſia fuit cum Vigilantio natione Gallo, & Barcinonenſis Eccleſiæ Presbytero, qui anno circiter 400. docuit Sanctos non eſſe invocandos, nec honorandas eorum reliquias, quod anteà docuerant Eunomiani, Euſtathiani, & Porphyriani, & poſtea docuerunt Valdenſes, Wicleffitæ, Huſſitæ, Lutherani, Zwingliani, Calviniſtæ, noſtríque temporis hæretici ferè omnes.

27. Vigeſima ſeptima controverſia fuit circa annum 405. cum Pelagio Monacho Britanno, docente peccatum originale non eſſe in hominibus, & ſine gratia Dei poſſe impleri om-

nia

nia mandata. Hujus erroris propugnatores acerrimi fuêre Cœleſtinus itidem Monachus, & Julianus Capuæ Epiſcopus; impugnator verò maximus S. Auguſtinus, ex cujus libris malè intellectis prodiêre alii errores, & primò Adrumetinorum quorundam in Africa Monachorum, qui ita gratiæ Dei neceſſitatem prædicare cœperunt, ut dicerent hominem liberum non eſſe, nec corrigendum in malefactis; ſed hi brevì ipſius D. Auguſtini operâ errorem ſuum depoſuêre. Secundo Semipelagianorum, ſeu Maſſilienſium (fuerunt enim Maſſilienſis Eccleſiæ Præsbyteri) qui lecto libro D. Aug. de correct., & grat. ad Adrumetinos Monachos ſcripto mediam quamdam viam ineundam putârunt, docentes cum Pelagianis, initium ſalutis noſtræ, à ſolis Naturæ viribus pendere, cum Catholicis verò reliquum ſalutis, non à ſola natura, ſed à gratia pendere. Hos ſecuti videntur Caſſianus Monachus, cæteroqui vitæ probatiſ-

batiſſimæ, Fauſtus Lirinenſis cænobii Monachus, inde Abbas, & poſtea Regienſis Epiſcopus, Vincentius Lirinenſis, Gennadius Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter; & Tertio Prædeſtinatianorum, qui circa eadem tempora malè intelligentes libros S. Aug. de grat. & prædeſtinat cæperunt docere bona opera nihil prodeſſe reprobis, nec mala nocere prædeſtinatis: ac proinde neutros ſollicitos eſſe debere, vel ut bene agant, vel ne malè agant; quam hæreſim ſæculo nono renovavit Gotteſchalchus natione Germanus, profeſſione Monachus, & ſæculo decimo ſexto Lutherus & Calvinus.

28. Vigeſima octava controverſia fuit cum Neſtorio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui anno 430. cœpit docere, B. Virginem non eſſe Dei Matrem, & in Chriſto duas eſſe perſonas, alteram Divinam, alteram humanam.

29. Vigeſima nona controverſia fuit paulò pòſt cum Eutiche Abbate, & Dio-

& Dioſcoro, qui, ut Neſtorio contradicerent, docuerunt, in Chriſto non ſolùm unam eſſe perſonam, ſed unam naturam. Hæ duæ hæreſes, nempe Neſtoriana & Eutychiana, hucuſque durant in partibus Orientis, ùt dicit Bellarminus in ſua Chronologia. Eutychianæ hæreſis magnus per Africam propagator fuit ſexto currente ſæculo quidam Jacob homo Syrus, unde Jacobitæ. Cophti etiam in Africa, ubi ſuum Patriarcham habent, ac tenere dicuntur celebre monaſterium, in quo fuit domus olim habitata à Chriſto puero in Ægyptum profugo. Eutychiani fuerunt, & fortè ſunt etiam modò Eutychi ſtuduiſſe dicuntur Acæmetæ in Scythia & Conſtantinopoli Monachi, dicti etiam Studitæ, & Petrus Gnaphæus dictus Fullo, Pſeudo-Epiſcopus Antiochenus, docens circa annum 476. Deum ipſum paſſum eſſe, & crucifixum, hoc eſt, ipſam Deitatem, imo Trinitatem, ùt videntur ſignificâſſe. Hujus Petri di-

ſcipuli dicti fuerunt Theopatitæ, ſeu Theopaſſitæ.

30. Trigeſima controverſia fuit cum Monothelitis, qui ducibus Sergio Conſtantinopolitano Patriarcha, Cyro Epiſcopo Alexandrino, & Macario Antiocheno, circa annum 630. docuerunt, in Chriſto Domino unam duntaxat voluntatem eſſe.

31. Trigeſima prima controverſia fuit cum Mahometanis. Horum dux Mahometes, natione Arabs, profeſſione mercator viliſſimus, inde ductor exercitûs, circa annum 630. ex pluribus ſectis ſuam confecit & propagavit; cum Sabellio ſiquidem negat in Divinis Trinitatem Perſonarum, cum Carpocrate, aliiſque Chriſtum negat Deum eſſe, etſi Prophetam ſanctum eſſe affirmet; cum Audæanis, Deum corporeum eſſe fingit; cum Judæis & Ebionitis circumciſionem ut neceſſariam recipit; cum Epicuro ſupremam felicitatem, ſeu ſupremum bonum in cor-

corporis voluptate ponit, cum Tatianis vini uſum ſuis prohibet, &c.

32. Trigeſima ſecunda controverſia fuit circa annum 719. cum Iconomachis, nempe ſacrarum imaginum impugnatoribus. Horum primi fuerunt Judæi, mox Mahometani, ſed qui eis crudeliſſimum hoc tempore bellum indixit, fuit Leo III. Imperator, vulgò Iſaurus.

33. Trigeſima tertia controverſia fuit anño circiter 796. cum Albanenſibus, qui renovârunt errorres Manichæorum de duplici principio, & de transmigratione animarum; Et rursùs: Sacramenta, reſurrectionem corporum, extremum judicium, infernum, purgatorium, & Eccleſiæ poteſtatem negârunt, ipsúmque Chriſtum aut non verum hominem, aut impaſſibilem fuiſſe dixerunt.

34. Trigeſima quarta controverſia fuit cum Græcis circa annum 1050. Cœperunt quidem Græci tempore Nicolai I. auctore Photio ſchiſma fa-

cere: tamen hoc tempore apertiſſimè ſe ab Eccleſia Romana diviſerunt, & cœperunt defendere errores ſuos, nempe hos, Spiritum Sanctum à Patre & Filio non procedere, ſed à ſolo Patre; Euchariſtiam non in pane azymo, ſed in ſolo fermentato confici poſſe; purgatorium nullum eſſe, nec juſtis ante diem judicii æternam felicitatem conferri, nec damnatis æternum ſupplicium ante dictam diem infligi; Romanum Pontificem non eſſe totius Eccleſiæ Caput & Primatem. Notat Hoſius lib. de Sacerdot. conjugio, quaterdecies eſſe Græcos ſpontè ab Eccleſia Latina ſciſſos, & ad eandem toties ferè reverſos.

35. Trigeſima quinta controverſia fuit pariter circa annum 1050. cum Berengario, Archidiacono Andegavenſi, qui docuit; in Euchariſtia non eſſe verum Chriſti Corpus & Sanguinem; deinde revocans hunc errorem, docuit, cum Corpore Chriſti eſſe etiam ſubſtantiam panis: addidit, par-

vulos

vulos non eſſe baptizandos, ſed tantùm adultos.

36. Trigeſima ſexta controverſia fuit anno circiter 1120. cum Petro de Bruis, natione Gallo, & Henrico Toloſano Monacho Apoſtata, qui docuerunt Miſſæ Sacrificium nihil eſſe, fidelium preces nihil defunctis prodeſſe, Baptiſmum ſine Fide nihil conferre parvulis.

37. Trigeſima ſeptima controverſia fuit circa annum 1140. cum Petro Abailardo, qui doctrinam defendebat mixtam ex Arrianiſmo, Neſtorianiſmo, & Pelagianiſmo, nihilque eſſe credendum dicebat, niſi quòd intellectus noſter beneficio rationis comprehendere poſſet. Huic adhæſit Arnoldus Brixienſis; Romæ tandem ſtrangulatus.

38. Trigeſima octava controverſia fuit circa annum 1160. cum Pauperibus de Lugduno, dictis Waldenſibus. ex Waldo quodam Lugdunenſi, qui ex mercatore opulento factus volun-

tarius pauper, cœpit prædicare, & ex ignorantia errores docere, reprehenſus à Clero errores auxit. Hi fuêre præcipui: primò Eccleſiæ Chriſti miniſtros propria poſſidentes, peccare omnes contra præceptum Chriſti: *nolite poſſidere aurum*, ac proinde Romanam Eccleſiam defeciſſe à tempore Sylveſtri I. quo poſſeſſiones habere cœpit, nullum in ea, quantumvis probum ſalvari poſſe; ſpernendas eſſe ejus indulgentias, benedictiones, conſecrationes cæremonias; nec obediendum eſſe Eccleſiæ Prælatis. Secundò, omnem poteſtatem, etiam laicam, ſolo peccato mortali deperdi, peccato autem carentem evadere ſacram: ac proinde Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem, nec conſecrare, nec abſolvere, laicum econtra juſtum hæc omnia ritè facere. Tertiò, nullam orationem præter Dominicam eſſe faciendam.

39. Trigeſima nona controverſia fuit circa annum 1200. cum Albigenſibus

ſibus hæreticis peſſimis, & ejuſdem ferè doctrinæ cum Albanenſibus, de quibus ſuprà egimus controverſiâ 33. & niſi armis ſubacti fuiſſent, totam Europam corrupiſſent.

40. Quadrageſima controverſia fuit circa annum 1250. cum quodam Guilelmo de S. Amore Doctore Pariſienſi, qui ex odio in Ordines Mendicantes docebat, non licere omnia ſpontè relinquere, & ingredi Ordinem Religioſum, qui non habeat ſaltem poſſeſſiones in communi. Hujus libros Alexander IV. Papa damnavit.

41. Quadrageſima prima controverſia fuit cum Flagellantibus, qui circa annum 1273. per Italiam, Galliam, Germaniámque vagantes, & ſe flagellis ad oſtentationem cædentes, docebant, ab adventu ſuæ ſectæ Chriſti Evangelium ceſsâſſe, & baptiſmum aquæ in baptiſmum ſanguinis, quem quisque flagellis è ſuo corpore deberet elicere, eſſe mutatum: Flagella-

tionem tandem martyrio æquiparandam, aut etiam præferendam.

42. Quadrageſima ſecunda controverſia fuit cum Fraticellis, quorum errores ſimiles fuêre erroribus Pauperum de Lugduno. Hos damnavit Bonifacius VIII.

43. Quadrageſima tertia controverſia fuit circa annum 1300. cum Beguardis & Beguinis, ſeu Biſochis, quorum præcipui errores fuêre: Hominem in hac vita poſſe evadere ſic perfectum, ut reddatur impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valeat: hominem verò, qui talem gradum ſit aſſecutus, non teneri ampliùs orare, nec Eccleſiaſtica jejunia ſervare, nec ullos virtutum actus exercere, nec ulla bona opera præſtare; imò nec aſſurgere, dum elevatur Venerabile Sacramentum. Rursùs, hunc hominem in hac vita poſſe aſſequi beatitudinem ita perfectam, ac in Patria. Iidem tamen cum tota ſua tam ſublimi perfectione actum carnalem ob flagran-

grantem concupiſcentiam excuſabant. Damnati fuêre in Concilio Oecumenico Viennenſi, ſub Clemente V. anno 1311.

44. His non abſimiles fuerunt Illuminati, orti in Hiſpania anno circiter 1575. & iterum poſtea anno 1623. quorum capitalis error erat, quòd tantam cum Deo unionem, talémque perfectionis ſtatum vi orationis mentalis ſe aſſecutos jactarent, ut nec bonis operibus, nec Sacramentis ampliùs egere ſe dicerent, & poſſe ſine culpa turpiſſima quæque patrare.

45. Quadrageſima quarta controverſia fuit circa annum 1340. cum Joanne Wicleffo, qui Vigornienſi Epiſcopatu non impetrato, à Romano Pontifice defecit, & errores Waldenſium circa Eccleſiæ poteſtatem, & Miniſtros, ipsóſque laicos Magiſtratus controverſiâ 38. recenſitos renovavit. Addidit ſubſtantiam panis & vini remanere poſt conſecrationem, Chriſtum in hoc Sacramento non eſſe

realiter, & in propria corporali præſentia, omniáque abſolutâ neceſſitate evenire. Hos alióſque ejus errores damnavit Concilium Conſtantienſe generale.

46. Quadrageſima quinta controverſia fuit cum Joanne Huſs (unde Huſſitæ) & Hieronymo Pragenſi, inſigni Boëmorum Doctore, qui anno circiter 1407. Waldenſium & Wicleffitarum errores renovavit. Addidit, omnes etiam laicos debere ſub utraque ſpecie communicare. Uterque fuit in prædicto Concilio Conſtantienſi combuſtus, anno 1415.

47. Quadrageſima ſexta controverſia fuit cum Petro de Oſma, Profeſſore Theologiæ in Academia Salmanticenſi, qui docuit, Confeſſionem merum inſtitutum humanum eſſe; & rursùs, pœnitentes abſolvi non debere ante peractam pœnitentiam. Damnatus fuit à Sixto IV.

48. Quadrageſima ſeptima controverſia cœpit circa annum 1517. cum Luthe-

Luthero Saxone Apoſtata, cujus præcipui errores fuêre: liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum extinctum fuiſſe; nullum eſſe hominis meritum ad ſalutem; hominem *ſolâ* fide, ſine operibus juſtificari; Sacramenta novæ Legis nec gratiam conferre, nec characterem imprimere, Confeſſionem auricularem eſſe humanum inventum; in Euchariſtia cum Chriſti Corpore manere panem; nec Chriſti Corpus in hoc Sacramento eſſe ſemper, ſed in ſolo uſu; ab omnibus ſub utrâque ſpecie ſumendum hoc Sacramentum; Miſſam nec à Chriſto inſtitutam, nec Sacrificium eſſe; Sacerdotes ad cœlibatum non teneri; Indulgentias nullas eſſe; Sanctos nec colendos, nec invocandos; Contritionem ex ſolo metu conceptam peccatum hypocriſis continere; In Eccleſia ſolos eſſe bonos; purgatorium ex Scriptura probari non poſſe. Hos errores damnavit Leo X. ac poſtea Concilium Tridentinum.

49. Ex Lutheranis orti ſunt ſemi-Lutherani, qui erroribus Lutheri alios errores addidêre, non tamen Luthero contrarios; & Antilutherani, qui addidêre contrarios, ùt Anabaptiſtæ, (quorum caput & magiſter Nicolaus Storkius, vel Balthaſar Pacimontanus docuít, Baptiſmum parvulis nihil prodeſſe, eóſque rebaptizandos, cùm fiunt adulti) & Sacramentarii, qui Chriſti Corpus in Euchariſtia eſſe negant, quorum ſigniferi Carolſtadius, & Zwinglius fuêre.

50. Confeſſioniſtæ verò & Proteſtantes Lutherani dicuntur, qui Confeſſionem Auguſtanam, quam Philippus Melanchton compoſuit, ſectari ſe jactant & proteſtantur, híq; dividuntur in Rigidos, qui ſolis adhærent Lutheri placitis; Molles, qui Wittembergenſem Confeſſionem profitentur, & Extravagantes, qui ſubſcripsêre quidem Confeſſioni Auguſtanæ, ut Principibus placerent; ſed interim ſectantur dogmata Luthero contraria.

51. Quadrageſima octava controverſia fuit cum Calvino, qui circa annum 1557. prædictis Lutheri erroribus hos alios addidit: Decreta Dei non eſſe ab æterno; Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis; per ſuam paſſionem nihil ſibi meruiſſe; illum in cruce deſperâſſe, nec verè ac propriè deſcendiſſe ad inferos; ab initio multa ignorâſſe, quæ poſtea didicit; DEUM prædeſtinâſſe, alios quidem ad gloriam, & alios ad ſupplicium, ſine ullo illorum merito, & horum demerito: hoc decretum tollere humanis actibus libertatem; non dari gratiam habitualem, ſed ſolam actualem, eámque talem, ut non ſufficiat ad ſervandam totam legem; Deum eſſe auctorem peccati, & ab eo homines ad peccata impelli; filios Fidelium naſci ſanctos, nec Baptiſmo indigere, infidelium filiis Baptiſmum non prodeſſe; filios illegitimos ad Baptiſmum non admittendos; in Sacramento Euchari-

ſtiæ eſſe ſolùm figurativè Chriſti Corpus & Sanguinem. Hos errores damnavit Concilium Tridentinum. Ut autem Lutherus Germaniam, ita Calvinus infecit Gallias, ubi Calviniſtæ dicti ſunt Hugonotti.

52. Angliam verò, poſtquam Henricus VIII. an. 1535. Romani Pontificis obedientiam excuſſit, & ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, Lutheraniſmus, & Calviniſmus invaſit, erroréſque alii; hinc multiplex in ea ſecta. Præcipuæ ſunt Proteſtantium, & Puritanorum, qui Presbyteriani dicuntur, & Independentium. Proteſtantes autem in Anglia multùm differunt à Germanicis, & aliquibus Lutheri, aliquibus Calvini, aliíſque erroribus adhærent. Ac 1. ſtatuunt, Regem eſſe caput ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ. 2. Admittunt Eccleſiam debere conſtare ex Archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis, aliíſque gradibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. 3. Varios recipiunt Catholico-

rum

rum antiquos ritus, altaria, cereos, ſuperpellicea; non tamen Chriſti præſentiam in cæna Euchariſtica admittunt. Hanc ſectam profitetur Rex, & Aula.

53. Puritani econtra ſunt rigidi Calviniſtæ, & Proteſtantibus è diametro opponuntur. Et 1. Purum Dei Verbum juxta Calvini placita ſe admittere profitentur. 2. Negant Regis in Eccleſia primatum. 3. Eliminant omnes Eccleſiæ Romanæ ritus. 4. Excludunt gradus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, voluntque Eccleſiam ſuam, Excluſis Epiſcopis, ac miniſtris, à ſolis ſenioribus Laicis adminiſtrari, inde dicti Presbyteriani.

54. Independentes, qui maximè Cromuelli tempore emerſerunt, in hoc Puritanis, ac Proteſtantibus adverſantur, quòd neque Reges, neque Epiſcopos, neque Seniores ad Eccleſiæ regimen admittant, ſed velint quemlibet ſibi Miniſtrum eſſe, ac ſine ulla perſonæ, ac ſexûs diſtinctione

eſſe

eſſe legitimum verbi Dei præconem, ídque quovis loco, ac tempore, dum ſentit ſe à Spiritu Sancto ad prædicandum Dei verbum impelli; ac proinde templa, altaria, pulpita è medio tollunt. Dicunt autem contra prædictas duas ſectas, quod ſicuti illis licuit, antiquos Romanæ Eccleſiæ ritus evertere, aut reformare, ita, imò multò magis ipſis licet ritus ab his de novo inductos rejicere.

55. Poſt prædictas tres ſectas, quæ in alias dividutnur, orta eſt in Anglia non ita pridem nempe ann. 1655. ſecta nova, Tremblantium, ſeu Tremolantium dicta, qui cæperunt Londini, quaſi œſtro quodam perciti in compitis, ac triviis comparere ſolo induſio tecti. Hi miras viſiones, revelationésque jactantes veluti concionabundi cæperunt monere populum, oportere in timore, & tremore ſalutem operari. Horum aliqui fuêre comprehenſi, & flagellis cæſi; & præſertim ipſorum dux

Jaco-

Jacobus Noilor, qui quamvis publicè ſtigmate inuſtus fuerit, nihil tamen de ſua inſania remiſit. Durat autem etiam nunc hæc ſecta Fanaticorum in Anglia, docétque inter alia 1. Scripturas non eſſe Dei verbum, nec in eis contineri veram, & ſalutarem doctrinam. 2. omnes homines habere ex ſe lumen ſufficiens ad ſalutem. 3. homines non juſtificari per Fidem in Chriſtum, ſed per opera. 4. Pro hominum corporibus poſt mortem neque conſtitutum eſſe Cœlum, neque Infernum, in quo immortaliter vivant, adeóque non futuram reſurrectionem corporum.

56. Quadrageſima nona Controverſia fuit cum Michaële Bajo Doctore Lovanienſi, cujus multi fuerunt errores contenti in ſeptuaginta novem propoſitionibus à B. Pio. & Gregorio XIII. ac tandem ab Urbano VIII. damnatis, quorum Pontificum Conſtitutiones conſulere potes.

*Diſc.*

*Diſc.* Id etiam laboris ut ſubeas, rogo, & prædictas propoſitiones, quas ex Calviniſmo ortas audio, ac tandem in Janſeniſmum abiiſſe, de quo tam frequens modo ſermo eſt, recitare ne graveris.

*Mag.* Quoniam id à me poſtulas, recitabo. Sunt autem, quæ ſequuntur:

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveràſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

5. In

5. In promiſſione facta Angelo, & primo homini, continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, quâ pro bonis operibus ſine alio reſpectu vita æterna juſtis promittitur.

6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut, ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ, non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratìs indigno collatum.

9. Dona conceſſa homini integro & Angelo forſitan non improbandâ ratione poſſunt dici gratia, ſed quia ſecundùm uſum ſacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per JEſum Chriſtum ma-

malè merentibus & indignis confe-runtur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia di-ci debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpè remanet, & cor-poris reſurrectio, propriè nonniſi me-ritis Chriſti adſcribenda eſt.

11. Quòd piè & juſtè in hac vita mortali uſque in finem converſati vi-tam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis con-ſtitutæ juſto Dei judicio deputandum eſt, neque in hac retributione bono-rum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii ſententia eſt: opus bo-num circa gratiam adoptionis factum non eſt regni cœleſtis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis

facta

facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quódque per ea præſtatur obedientia legi.

14. Opera bona juſtorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm juſto Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quòd, qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divinæ legi.

16. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ùt Fides & Pœnitentia, ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipſi non conſe-

ſequentur, niſi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera juſtitiæ & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veníale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt:* intelligunt de Gentibus Fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditonem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

24. A vanis & otioſis hominibus ſecundùm inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei Filium adoptatus.

25. Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.

28. Pelagianus error eſt, dicere, quòd liberum arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum.

29. Non ſoli fures ii ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicunq; aliunde, quàm per ipſum in viam

viam juſtitiæ ( hoc eſt, aliquam juſtitiam ) conſcendi poſſe docent.

30. Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe ſic, ut in eam inducatur, aut ab ea non ſuperetur.

31. Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catechumenus juſtè, rectè & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demùm percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ùt Auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur ùt Beatificator, vana eſt,

eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus ſervit peccator dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt à

neceſſitate ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; ſed ſolùm nomen libertatis à peccato.

42. Juſtitia, quâ juſtificatur per Fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In omnibus pœnitentibus ante Sacramentum Abſolutionis, & in catechumenis ante Baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ à Fidelibus fiunt, ſolùm ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homi-

nes,

nes, quia ſunt legis obedientia, & vera legis juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Miſſæ non aliâ ratione eſt ſacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut ſanctâ ſocietate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ & originis, utrùm omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati ſine ulla ratione, ac reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48. Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò-quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quan-

do uſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: *Non concupiſces.*

51. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

52. Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum auctorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima transgreſſio.

53. Quantum eſt ex vi transgreſſionis; tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.

55.

55. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.

56. In peccato duo ſunt; actus, & reatus, tranſeunte autem actu, nihil manet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatus tollitur.

59. Quando per eleemoſynas, aliáque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non divinum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant. (Nam alioqui eſſemus, ſaltem aliqua ex parte, redem-

ptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per Paſſiones Sanctorum in Indulgentiis comunicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum diſtinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, (hoc eſt, ad modum meritorum,) commentitia eſt, & explodenda.

62. Illa quoque diſtinctio, quâ opus dicitur bifariàm bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumſtantiis rectum eſt & bonum (quod moraliter

ter bonum appellare conſueverunt,) vel quia eſt meritorium regni æterni, eòquòd fit à vivo Chriſti membro per ſpiritum charitatis, rejicienda eſt.

63. Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ; alterius, quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritûs S. cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, quâ Divinæ legis juſtificatio impleatur, ſimiliter rejicitur.

64. Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, quâ vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt, & ſcripturis minimè congruens.

65. Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus, & gratiæ Chri-

ſti injuriam facit, qui ita ſentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.

68 Infidelitas purè negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

69. Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.

70. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cũ reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

72. Om-

72. Omnes omninò juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde & Job, & Martyres quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.

73. Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali, hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omnésque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati prohibiti præcepto, *Non concupiſces*; unde homo eos ſentiens, & non conſentiens transgreditur præceptum, *Non concupiſces*; quamvis transgreſſio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit

præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

78. Imortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

79. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.

57. *Diſc.* Audivi, Pontifices in Bulla damnationis aſſerere, quòd nonnullæ harum propoſitionum damnatarum aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento. Eſtne id verum?

*Mag.* Falſum omninò, ùt declaravit Urbanus VIII. útque clariſſimè oſtendit Cardinalis de Aguir in defenſione Cathedræ S. Petri, diſput. 20. quem legere poteris, uti etiam Ripaldam tom. 3. diſp. 1. ſect. 2. Velim autem, ut prædictas propoſitiones con-

conferas cum erroribus Calvini, controv. 48. recenſitis : clarè enim deprehendes, quod dicebam, Bajaniſmum in Calviniſmo fundari, conſequenter etiam Janſeniſmum, de quo mox.

58. Quinquageſima prima controverſia fuit circa annum 1640. cum Janſeniſtis, ſeu Janſenianis, qui Janſenii Iprenſis Epiſcopi doctrinam in Bajo damnatam propugnabant, & præſertim celebres quinque propoſitiones, quas ex dicti Janſenii libro, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas Innocentius X. damnavit. Ejuſmodi propoſitiones ſunt hæ :

1. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

3. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in

homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

59. Ut autem Janſenii doctrinam, háſque ipſas quinque propoſitiones tueri poſt earum damnationem poſſent Janſeniſtæ, cœperunt docere, fuiſſe quidem illas probè damnatas; at non eſſe verè excerptas ex libro Janſenii, nec in eo reperiri; tum, ſi qua ex ipſis in eodem libro reperiretur, non eſſe damnatam in eo ſenſu, quo eam docuit Janſenius, utpote non alieno à ſenſu Auguſtini, ac proinde veram ac tutam, ſanctámque eſſe doctrinam Janſenii, nec ullam verè eſ-

ſe in mundo hæreſim Janſenianam, nullos Janſeniſtas.

60. Sed callidis his molitionibus ſtatim occurrit pro ſua ſumma pietate, & zelo tuendæ Religionis Clerus Gallicanus Pariſiis congregatus, ùt ipſe idem refert in epiſtola ad Innocentium X. die 28. Martii anno 1654 ſcripta his verbis: *Nos in hac Urbe Pariſienſi congregati cenſuimus, & per epiſtolam encyclicam his litteris adjunctam declaravimus, Propoſitiones illas & opiniones eſſe Cornelii Janſenii, & in ſenſu ejuſdem Janſenii à Sanctitate Veſtra damnatas diſertis & manifeſtis verbis.*

61. Et quamvis hanc Cleri Gallicani declarationem confirmâſſe videretur Innocentius ad eundem reſcribens, die 29. Septembris 1654. nihilominùs Alexand. VII. Innocentio paulò pòſt ſubrogatus, novam edidit Conſtitutionem 17. Kalend. Novembris, 1656. in qua relatâ Innocentii Conſtitutione ita ſubdit: *Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædi-*

*ctas quinque propoſitiones vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti Fidelium ſcandalo non reformident, Nos . . . præinſertam Innocentii, Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, declarationem, & definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii, Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt:* Auguſtinus, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe definimus & declaramus, &c.*

62. Utque uniuſcujuſque fides certo aliquo, & externo documento conſtaret, præcepit anno 1664. omnibus Eccleſiaſticis, tam regularibus, quàm ſæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus atque Magiſtris, ut hanc formulam ſubſcriberent. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji, 1653. & Conſtitutioni*

*Alc-*

*Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* Auguſtinus, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedis Apoſtolicæ damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

63. Quia verò ſpiritus hæreticorum eſt maximè pervicax, refractarius, & cavilloſus, non veriti ſunt iidem dicere, ſe ſubſcripturos quidem ſincerè prædictam formulam, quatenus damnat dictas quinque propoſitiones, non verò, quatenùs in ea dicitur, fuiſſe illas excerptas ex libro Janſenii, & in ſenſu ab Auctore intento damnatas, cauſantes nimirùm, hoc pertinere ad quæſtionem facti à Deo minimè revelati per ſcripturas & traditiones, ac proinde definiri non poſſe ab Eccleſia per authoritatem infallibilem, nec eandem poſſe à fidelibus exigere hujus rei fidem internam, ac juramentum,

ſed ſolùm quoddam ſilentium obſe-quioſum, ne videlicet quidquam contra hujus, ùt vocant, facti veritatem, aut definitionem loquantur, quod & ajunt, ſe juramento ſuo ſolùm promittere.

64. Verùm hos etiam cavillos, fraudésque ſapientiſſimè nuper disjecit Clemens XI. ſuâ ſcilicet conſtitutione editâ anno 1705. decimo ſeptimo Cal. Auguſti, quâ Innocentii X. & Alexandri VII. conſtitutiones confirmat, approbat, & innovat; ac inſuper, *ut omnes Eccleſiæ filii Eccleſiam ipſam audire non tacendo ſolùm, ſed & interiùs obſequendo, quæ vera eſt Orthodoxi hominis obedientia, condiſcant*, decernit ac declarat, *Obedientiæ, quæ prædictis Apoſtolicis conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in quinque propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſti Fidelibus, ùt hæreticum non ore ſolùm, ſed & corde rejici ac damnari debere, nec aliâ mente, animo aut credulitate*

*litate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe.*

65. Quinquageſima ſecunda & ultima controverſia fuit circa ann. 1680. cum Quietiſtis, quorum Magiſter Michaël de Molinos, Presbyter Hiſpanus docebat; In vita ſpirituali, ſive myſtica hos ſolos cenſendos eſſe perfectos & verè myſticos, qui per unum actum non revocatum Deo ſemel oblati, & ut dicebat, totaliter uniti, reſignati, atque relicti, reliquos omnes actus ùt ſuperfluos ſuſpenderent, ac veluti inanimati permanerent, nihil prorsùs operando, neque volendo, neque petendo, nec de acceptis à Deo bonis gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, ſed ſilendo, & merè paſſivè ſe habendo, in abſoluta permanerent indifferentia circa omnia ſive pœnam ſive præmium, ſive infernum, ſive paradiſum, ſeu æternam damnationem aut ſalutem, ſinendo, ut Deus operaretur, & ſuam Divinam voluntatem in ipſis adimpleret. Unde

&

& alios multos errores deducebant, ſimiles erroribus Beguardorum, Beguinarum, & Illuminatorum, de quibus actum eſt Controv. 43. Hos verò omnes Quietiſtarum errores & propoſitiones proſcripſit & damnavit Innocentius XI. decreto edito die 28, Auguſti, 1687.

Atque hæ ſunt præcipuæ cum hæreticis controverſiæ, continuato ferè temporum ordine propoſitæ; quem tamen ordinem Theologi Polemici non obſervant, ordinem potiùs rerum & materiarum ſecuti; quia videlicet diverſi diverſorum temporum hæretici circa eandem ſæpè materiam, ſeu Fidei articulum, erraverunt. Quare Cardin. Bellarminus in hoc Theologiæ genere haud dubiè inſignis, ſic univerſæ hujus Theologiæ partes diſtribuendas eſſe judicavit, quemadmodum & abs re noſtra minimè fore cenſui, ut hîc etiam repræſentarem ad majorem tuam, tuíque ſimilium commoditatem.

§. II.

## §. II.

### *Ordo Controverſiarum & Librorum Cardinalis Bellarmini.*

66. PRimo tomo complectitur ſeptem controverſias generales, ſingulas autem controverſias in plures libros dividit, & libros in plura capita.

Prima Controverſia eſt de Verbo DEI ſcripto & non ſcripto: habétque quatuor libros. In primo agit de libris ſacris, de incertis, & controverſis olim inter Catholicos, de controverſis modò, imò rejectis ab hæreticis. In ſecundo de Scripturæ ſacræ editionibus, & præſertim de Vulgata, quam defendit. In tertio de Scripturæ ſacræ interpretatione omninò neceſſaria ad Controverſias Fidei terminandas. In quarto, de Verbo Dei non ſcripto, ſeu de Traditionibus.

Secunda Controverſia eſt de Chriſto Capite totius Eccleſiæ, ac continet quinque libros: In primo agit de unitate Dei, de Divinitate Filii, & de Divi-

Divinitate Spiritûs S. In ſecundo, de diſtinctione Perſonarum, de proceſſione Spiritûs Sancti à Filio, eâque additione ſymboli, *Filióque*. In tertio, de Incarnatione Filii, contra Neſtorium, Eutychetem, alióſque, & de communicatione idiomatum, contra Ubiquiſtas. In quarto libro, de Chriſti anima, ejus ſcientia, ejus deſcenſu ad inferos, & Patrum ibi detentorum liberatione. In ſexto agit de Chriſto ùt mediatore, & de ejus merito.

Tertia Controverſia eſt de Summo Pontifice continétque quinque libros. In primo agit de Eccleſiæ regimine, an ſit monarchicum, & quale ſit: an Petro collatum? an etiam Paulo? In ſecundo probat Petrum Romæ fuiſſe, ac ſedem ibi fundâſſe, & mortuum eſſe; ejúſque ſucceſſores Romanos Pontifices ei in Eccleſiaſtica Monarchia ſuccedere. In tertio agit de Antichriſto, probátque, nondum veniſſe, & multò minùs eſſe Romanum Pontificem, ùt quidam hæretici impudenter aſſerunt.

Tum refellit fabulam de Joanna Papiſſa. In quarto libro agit de poteſtate ſpirituali Summi Pontificis, primò in controverſiis Fidei & morum dijudicandis, ubi errores aliquos nonnullis Pontificibus fuiſſe falsò adſcriptos, oſtendit: ſecundò in condendis legibus. Quærit poſteà, an Chriſtus jurisdictionem Eccleſiaſticam ſoli Summo Pontifici immediatè contulerit, an Apoſtolis, an Epiſcopis? In libro quinto agit de poteſtate temporali Pontificis.

Quarta Controverſia, eſt de Eccleſia Militante tum in Conciliis concongregata, tum ſparſa toto orbe terrarum, continétque quatuor libros. In primo agit de Conciliis. Quid Concilium ſit, quotuplex, an neceſſarium, quomodo convocandum ſit, quot fuerint, & qualia. In ſecundo de Conciliorum auctoritate, & infallibilitate, an ſint ſupra Scripturas, an ſupra Pontificem. In tertio agit de Eccleſia militante toto

orbe

orbe diffuſa, de Hæreticis, Apoſtatis, Schiſmaticis, Excommunicatis, Prædeſtinatis, non perfectis, magnis peccatoribus &c. An Eccleſia ſit ſemper viſibilis, an errare, & deficere poſſit. In quarto agit de Notis Eccleſiæ.

Quinta Controverſia eſt de membris Eccleſiæ militantis, continétque tres libros. In primo agit deClericis, & ad quem pertineat electio Papæ, Epiſcoporum &c. De officiis Miniſtrorum, de diſtinctione Epiſcopi, & Presbyteri, de Cardinalibus, Chorepiſcopis, Cælibatu Sacerdotum, de bigamia, de decimis, de poſſeſſionibus Clericorum, eorúmque immunitate. In ſecundo agit de Monachis, nempe de variis Ordinibus Religioſorum, de eorum origine, confirmatione, votis; an bene emittantur à junioribus, etiam Parentibus invitis; de voto ſolemni, de habitu, & tonſura Monachorum, an poſſidere poſſint, an mendicare.

In tertio agit de Laicis, ſive ſæcularibus, quæritque an politica poteſtas ſit licita, an ſit etiam in impiis, an poſſit leges condere, gladio punire, bella gerere, judicium ferre de Religione. An poſſint hæretici temporalibus pœnis, atque etiam morte mulctari.

Sexta Controverſia, eſt de Eccleſia exiſtente in Purgatorio, habétque duos libros. In primo probat exiſtere Purgatorium. In ſecundo agit de circumſtantiis Purgatorii; quæ animæ purgandæ ſint, an ibi mereri, vel peccare poſſint, an ſint certæ de tua ſalute: quis ſit locus Purgatorii, qualis duratio, qualis pœna, an ignis &c. an torqueantur à Dæmonibus, an ſuffragiis juventur. Tandem agit de funere.

Septima Controverſia, eſt de Eccleſia triumphante, ac tribus libris explicatur. In primo agit de beatitudine, & canonizatione Sanctorum. An Sancti ſint modò beati; an rectè cano-

canonizentur; an Pontifex errare in hoc poſſit; an Sancti rectè colantur; an pro nobis orent. In ſecundo agit de cultu reliquiarum, & ſacrarum Imaginum. In tertio agit de iis rebus, quibus Sancti à nobis coluntur, nempe de Templis, eorúmque formâ, & fine, conſecratione, ornatu; de peregrinationibus, votis, feſtis, vigiliis.

*Tomi 2. Controverſiæ ſunt quinque.*

PRima Controverſia eſt de Sacramentis in genere, habetque libros duos. In primo agit Auctor de erroribus, & mendaciis Hæreticorum circa Sacramenta, de Sacramenti definitione, Inſtitutione, fine, neceſſitate, Miniſtro, Miniſtri probitate, fide, intentione. In ſecundo agit de efficacia Sacramentorum, differentiâ noſtrorum Sacramentorum à Sacramentis veteris Legis, eorum charactere, numero, & cæremoniis.

Secunda Controverſia eſt de Baptiſmo, & Confirmatione, habetque libros duos, In primo agit de Baptiſmi materia, forma, neceſſitate, Inſtitutione, Miniſtro, ſubjecto, (ubi de Baptiſmo Parvulorum) fide ad eum requiſita, effectibus, differentia inter ipſum, & Baptiſmum Joannis, cæremoniis. In ſecundo agit de Sacramento Confirmationis, nempe ejus vera Inſtitutione, Materia, Forma, Effectu, Miniſtro, Cæremoniis.

Tertia Controverſia eſt de Sacramento Euchariſtiæ, ac ſex habet libros. In primo agit de reali Chriſti præſentia in hoc Sacramento contra errores Hæreticorum, quos recenſet & refellit ex Scriptura. In ſecundo eoſdem refellit ex Patribus omnium temporum. In tertio ſolvit argumenta Hæreticorum, & agit de modo, quo Corpus Domini eſt in Euchariſtia contra ſententias aliquorum hæreticorum, & Catholicorum, &

de Tranſubſtantiatione, quam firmat ex Patribus contra Hæreticos. In quarto agit de hujus Sacramenti permanentia, inſtitutione, & conſtitutione, adeóque de ejus materia, forma, miniſtro, effectu, præparatione ad ipſum requiſita, uſu ſub una, & ſub utráque ſpecie, veneratione. In quinto agit de Miſſa, ſeu de Eucharistia, ut eſt Sacrificium, quale eſſe probat ex Scripturis, Traditionibus, Patribus, Liturgiis. In Sexto tandem agit de hujus Sacrificii effectibus, probátque ipſum eſſe propitiatorium, & impetratorium, adeóque prodeſſe vivis ac defunctis. Agit etiam de miſſa privata, ſolemníque ejúsque partibus &c.

Quarta Controverſia, quæ eſt de extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio, tres libros complectitur. In primo agit de Sacramento extremæ Unctionis, ubi de ejus inſtitutione, materia, forma, &c. In ſecundo agit de Sacramento Ordinis.

In

In tertio de Sacramento Matrimonii, de Polygamia, de ſolubilitate Matrimonii Infidelium, de Impedimentis, de cauſis Matrimonalibus.

Quinta Controverſia eſt de Sacramento Pœnitentiæ, habétq; quatuor libros. In primo recenſet mendacia hæreticorum circa Pœnitentiam, probat eſſe Sacramentum diſtinctum à Baptiſmo, ejúsque partes ſtatuit. In ſecundo agit de Contritione & Attritione. In tertio agit de Confeſſione, cujus neceſſitatem probat ex Scripturis & Patribus. In quarto agit de Satisfactione.

*Tertii, & ultimi Tomi controverſiæ ſunt quinque.*

PRima eſt de gratia primi hominis, explicatúrque unico libro, in quo Auctor agit de ſtatu primi hominis, ejúsque donis ſupernaturalibus, de Paradiſo terreſtri, de Cherubim ejus Cuſtode, de arbore ſcientiæ boni & mali, & de ligno vitæ.

Secunda Controverſia eſt de amiſ-

ſione gratiæ, habétque libros ſex. In primo agit Auctor de peccato in genere, & de diſcrimine mortalis à veniali. In ſecundo agit de cauſa Peccati in genere, quam non eſſe Deum oſtendit contra hæreticos. In tertio agit de peccato primi hominis; de ejus tentatione, de pœna ipſi inflicta, ejúsque pœnitentia. In quarto agit de Peccato Originali, probátque illud eſſe in filiis Adæ, & eſſe verè peccatum, & docet quomodo contrahatur. In quinto refellit errores hæreticorum, & aliquorum Catholicorum circa peccatum originis. In ſexto agit de pœna peccati originalis, quam ſuſtinent in alia vita parvuli decedentes ſine baptiſmo, & de pœna, quam ex tali peccato ſuſtinemus in hac vita.

Tertia Controverſia eſt de gratia, & libero arbitrio, eáque dividitur in ſex libros. In primo agit Auctor de gratia gratum faciente, de Charitate, de Gratia gratis data, & de gra-

tia

tia actuali ſufficienti, & efficaci. In ſecundo oſtendit gratiam ſufficientem omnibus dari, agítque de Prædeſtinatione & Reprobatione. In tertio agit de libero arbitrio. In quarto oſtendit homini ineſſe liberum arbitrium ad actiones civiles & externas. In quinto expendit, quæ ſint vires naturales hominis in intellectu & voluntate, ac hujuſmodi libertatem etiam in moralibus probat. In ſexto tandem hominis libertatem etiam in actibus ſalutaribus dari oſtendit.

Quarta Controverſia eſt de Juſtifitione, habétque libros quinque. In primo agit de Fide juſtificante, & quærit, an ſola Fides juſtificet? In ſecundo agit de Juſtitia inhærente, ſeu de formali cauſa juſtificationis noſtræ In tertio agit de incertitudine Juſtitiæ, & Prædeſtinationis. In quarto agit de juſtitia operum, quorum neceſſitatem ad ſalutem probat. Agit etiam de diſcrimine legis, & Evangelii, de vera libertate Chriſtia-

na, de vera bonitate operum, quæ fiunt à Juſtis. In quinto agit de meritis Juſtorum, de honeſtate operationis factæ intuitu mercedis æternæ, de conditionibus ad merendum requiſitis.

Quinta, & ultima Controverſia eſt de bonis operibus, & habet libros tres. In primo agit de oratione, ejúsque naturam, utilitatem, neceſſitatem, & excellentiam oſtendit. Exponit orationem Dominicam, affert conditiones requiſitas ad impetrandum, agit de horis Canonicis, quarum uſum, & cantum propugnat, quidque ad eas ritè perſolvendas requiratur, docet. In ſecundo agit de jejunio, ejúsque præceptum lege Divinâ & Eccleſiaſticâ conſtitutum oſtendit. Poſtea agit de Jejunio Quadrageſimæ, & reliquis per annum. In tertio agit de Eleemoſina, eámque ſolam non ſufficere ad ſalutem docet, perutilem tamen eſſe oſtendit, & aliquando præceptam.

Divi-

Divitias tandem Chriſtiano illicitas non eſſe probat.

Hanc ego Controverſiarum Card. Bellarm. Synopſim tibi exhibendam eſſe judicavi, ut uno velut intuitu univerſam ferè materiam Polemicam luſtrares, ſciréſque loca ipſa in quibus omnes prædictæ hæreſes à tanto Doctore refelluntur. Quod ſi brevem, ac ſuccinctam illarum confutationem habere velis, conſule librum 7. Methodici apparatûs Petri Annati Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Præpoſiti Gen. Theologi pereruditi.

67. *Diſc.* Jam ſcire velim quibus ex fontibus hæc Theologia argumenta ſua depromat?

*Mag.* Ex iiſdem, ex quibus ſua petit Theologus ſpeculativus. Interim verò advertere debet Polemicus, quis ſit ille, cujus errores refellit. Si enim ſit Ethnicus, non utetur auctoritate Scripturarum, traditionum, aliorúmque hujuſmodi, quæ ille non admittit, ſed argumentis petitis ex lumine ra-

tionis,& communi ſenſu gentium,ex teſtimonio Sybillarum, ſuorúmq; ſapientum,ex miraculis tot ſcriptorum atteſtatione confirmatis,aliíſque hujuſmodi,quæ negare non poſſit. Si ſit Hebræus, ex auctoritate Scripturæ, ſuorum Doctorum, Rabinorum, prædictionibus jam verificatis,&c. Si ſit Hæreticus, ex auctoritate librorum Scripturæ, quos non rejicit, veteris Eccleſiæ, & antiquorum Patrum, ex notis veræ Eccleſiæ, veræque doctrinæ, ex lumine ipſo rationis, & ex eo, quòd ſæpè inter ſe pugnent, quæ docent hæretici.

Hæc Theologia non eſt omnibus Eccleſiaſticis neceſſaria, ſed iis,qui infideles & hæreticos tenentur pro officio ab erroribus ad veritatem & Fidem traducere; tum illis etiam, qui cum infidelibus aut hæreticis verſantur, & cum eis ſermonem de Religione miſcere velint, vel eos audire ſine periculo perverſionis. Sed de hac Theologia ſatis.

Breviorem Summam tradam reliquarum trium Facultatum.

TY-

# TYROCINII THEOLOGICI PARS IV.

*In qua agitur de Facultate Canonica.*

I.

HÆc ordinatim proponit & explicat Canones Conciliorum, Decreta, ſeu Reſponſa Pontificum, & ſententias aliquas Patrum circa mores, ritúsque ab Eccleſia cuſtoditos: hæc enim omnia conflant Jus Canonicum; quod continetur quinque partibus, ſeu Codicibus. Primus dicitur *Decretum*, ſecundus *Decretales*, tertius *Sextus Decretalium*, quartus *Clementinæ*, quintus *Extravagantes*. His addi poſſunt ſexto loco Bullæ omnes Summorum Pontificum in plures tomos à Laërtio

Cherubino & aliis ſub Bullarii Romani nomine collectæ.

§. I.

*De Decreto Gratiani.*

2. DEcretum, ſeu liber Decretorum continet ſummam Juris antiqui à Gratiano, Monacho Benedictino, ex diverſis Conciliis, & ſummorum Pontificum, ſanctorúmque Patrum placitis collectam circa annum 1150. ad id etiam, ut quibuſdam placet, collato ſtudio cujuſdam Diſcipuli Paleæ dicti, quò tranſcriptæ ſint variæ authoritates, quæ in Decreto reperiuntur, cum hac inſcriptione *Palea*. Tres autem Decreti ſunt partes. Prima continet diſtinctiones centum & unam, ſubdiviſas in capitula, quæ ita citantur: v. g. cap. *Clericorum* diſt. 5. Secunda continet triginta ſex cauſas, quarum ſingulæ in quæſtiones dividuntur, & quælibet quæſtio in capita, ſeu capitula, quæ ſic allegantur: ex. gr. Cap. *Nemo* 11. quæſt. 3. In *ly* autem 11. ſubintel-

ligi-

ligitur *Cauſa.* Poſt hanc ſecundam Decreti partem eſt Tractatus de Pœnitentia in quinque diſtinctiones digeſtus, cujus capita ſic citantur, ex. gr. Cap. *Principium de Pœnitentia, diſt.* 2. Tertia demum pars continet Tractatum de Conſecratione, qui quinque ſimiliter diſtinctiones habet, cujus capita ſic citantur, ex. g. Cap. *Epiſcopus de Conſecrat. diſt.* 4.

## §. II.

### *De Decretalibus.*

3. DEcretales continent Litteras Pontificum ad Quæſtiones tum in Conciliis, tum extrà ſibi factas decretoriè reſpondentium. Eas in unum tomum redegit S. Raymundus de Pennafort, Ordinis Prædicatorum, juſſu Gregorii IX. qui eas poſtea confirmavit anno 1230. Dividuntur autem in quinque libros.

In primo libro agitur de munere ex officio Perſonarum Eccleſiaſticarum. De Conſtitutionibus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Reſcriptis.
De Conſuetudine.
De Poſtulatione Prælatorum.
De Electione & Electi poteſtate.
De Translatione Epiſcopi vel Electi.
De Auctoritate & uſu Pallii.
De Renuntiatione.
De ſupplenda negligentia Prælatorũ.
De Temporibus Ordinationum.
De Scrutinio.
De Ordinatis ab Epiſcopo, qui reſignavit Epiſcopatum.
De Ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum.
De ſacra Unctione.
De Sacramentis non iterandis.
De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.
De ſervis non ordinandis, & eorum manumiſſione.
De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.
De corpore vitiatis ordinandis, vel non.
De Bigamis non ordinandis.

De

De Clericis peregrinis.
De Officio Archi-Diaconi.
De Officio Primicerii.
De Officio Sacriſtæ.
De Officio Cuſtodis.
De Officio Vicarii.
De Officio & poteſtate Judicis delegati.
De Officio Judicis.
De Officio Judicis ordinarii.
De Majoritate & obedientia.
De Treuga & Pace.
De Pactis.
De Tranſactionibus.
De Poſtulando.
De Procuratoribus.
De Syndico.
De iis, quæ vi metûsve causâ fiunt.
De in integrum reſtitutione.
De Alienatione judicii mutandi causâ facta.

In Libro ſecundo agitur de Judiciis, & aliis, quæ ad judicia pertinent, cujus tituli ſunt:

De Judiciis.
De Foro competenti.

De libelli oblatione.
De mutuis Obligationibus.
De Litis conteſtatione.
Ut lite non conteſtatâ non procedatur ad teſtium receptionem.
De juramento calumniæ.
De Dilationibus.
De Feriis
De Ordine Cognitionum.
De Plùs petitionibus.
De Cauſa poſſeſſionis & proprietatis.
De Reſtitutione ſpoliatorum.
De dolo & contumacia.
De eo, qui mittitur in poſſeſſionem causâ rei ſervandæ.
Ut lite pendente nihil innovetur.
De ſequeſtratione poſſeſſionis & fructuum.
De confeſſis.
De procurationibus.
De Teſtibus & Atteſtationibus.
De Teſtibus cogendis, vel non.
De fide inſtrumentorum.
De Præſumptionibus.
De Jurejurando.

De

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Exceptionibus.
De Præſcriptionibus.
De Sententia re judicatâ.
De Appellationibus, recuſationibus, & relationibus.
De Clericis peregrinantibus.
De Confirmatione utili vel inutili.

In Libro tertio agitur de rebus, quæ ad Clericos & Eccleſias pertinent, cujus tituli ſunt
De Vita & honeſtate Clericorum.
De Cohabitatione Clericorum & mulierum.
De Clericis conjugatis.
De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda.
De Præbendis & dignitatibus.
De Clerico ægrotante, vel debilitato.
De Inſtitutionibus.
De Conceſſione Præbendæ.
Ne ſede vacante aliquid innovetur.
De iis, quæ ſunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli.
De iis, quæ ſunt à majori parte Capituli.

Ut

Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.
De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.
De Precariis.
De Commodato.
De depoſito.
De emptione & venditione.
De locato & conducto.
De rerum permutatione.
De Feudis.
De pignoribus & aliis cautionibus.
De Fidejuſſoribus.
De ſolutionibus.
De donationibus.
De peculio Clericorum.
De Teſtamentis & ultimis voluntatibus.
De ſucceſſionibus ab inteſtato.
De ſepulturis.
De Parochiis & alienis parochianis.
De decimis, primitiis, & oblationibus.
De Regularibus.
De tranſeuntibus ad Religionem.
De converſione conjugatorum.
De converſione infidelium.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De voto & voti redemptione.
De ſtatu Monachorum & Canonicorum Regularium.
De religioſis domibus ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.
De Capellis Monachorum & aliorum Religioſorum.
De Jure Patronatûs.
De cenſibus, exactionibus, & procurationibus.
De conſecratione Eccleſiæ vel Altaris.
De Celebratione Miſſarum & Sacramento Euchariſtiæ, & divinis Officiis.
De Baptiſmo & ejus effectu.
De Presbytero non baptizato.
De Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.
De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.
De Obſervatione Jejuniorum.
De Purificatione poſt partum.
De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.
De Immunitate Eccleſiarum, Cœmiteri-

teriorum, & rerum ad eas pertinentium.

Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.

In libro quarto agitur de rebus, quæ ad laicos attinent, cujus tituli ſunt.

De Sponſalibus & Matrimoniis.

De deſponſatione impuberum.

De clandeſtina deſponſatione.

De Sponſa duorum.

De conditionibus appoſitis in diſpenſationibus, vel aliis contractibus.

Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſint.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

De conjugio leproſorum.

De conjugio ſervorum.

De natis ex libero ventre.

De cognatione ſpirituali.

De cognatione legali.

De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.

De conſanguinitate & affinitate.

De

De frigidis & maleficiatis, & impotentia coëundi.

De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

Qui filii ſint legitimi.

Qui Matrimonium accuſare poſſint, vel contra illud teſtificari.

De divortiis.

De donationibus inter virum & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda.

De ſecundis nuptiis.

In libro quinto agitur de delictis, ſive criminibus, & eorum pœnis: ejus tituli ſunt

De accuſationibus, inquiſitionibus, & denuntiationibus.

De calumniatoribus.

De Simoniâ, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.

Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

De Magiſtris, ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

De Judæis, Saracenis, & eorum ſervis.

De

De hæreticis & ſchiſmaticis,& ordinatis ab eis.
De apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma.
De iis, qui filios occiderunt.
De infantibus & languidis expoſitis.
De homicidio voluntario, vel caſuali.
De clericis pugnantibus in duello.
De ſagittariis.
De adulteriis.
De raptoribus, incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum.
De furtis.
De uſuris.
De crimine falſi.
De ſortilegiis.
De colluſione detegenda.
De delictis puerorum.
De Clerico venatore.
De Clerico percuſſore.
De maledicis.
De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.
De Clerico non ordinato miniſtrante.
De Clerico per ſaltum promoto.

De

De eo, qui Ordinem furtivè ſuſcepit.
De exceſſibus Prælatorum & ſubditorum
De novi operis nuntiatione.
De privilegiis & exceſſibus privilegiatorum.
De purgatione Canonica.
De purgatione vulgari.
De injuriis & damno dato.
De pœnis.
De pœnitentiis & remiſſionibus.
De ſententia excommunicationis.
De verborum ſignificatione.
De Regulis Juris.

4. Porrò totum id, quod his quinque Decretalium libris continetur, ad quatuor capita potiſſimùm reducitur, videlicet ad *Perſonas* Clericorum vel laicorum, ad *Res* earundem perſonarum, ad *Judicia* & *Actiones*, ad *Delicta*, & eorum *Pœnas*. In primo libro agitur de Perſonis Clericorum, & de modis, quibus eliguntur, transferuntur, vel ab officio amoventur. In ſecundo libro agitur de Actionibus & Judiciis Eccle-

Eccleſiaſticis. In tertio libro de Rebus Clericorum & Eccleſiarum, & proinde etiam de honeſtate Clericorum, & de Sacramentis, quorum Clerici ſunt miniſtri. In quarto libro agitur de ſtatu laicorum, & proinde de iis, quæ ad Matrimonium ſpectant, & de iis, quæ ipſum antecedunt, vel ſequuntur, vel comitantur. In quinto libro agitur de delictis & eorum pœnis. Allegantur Decretales hoc modo: C. *Etſi Judæos, de Judæis* hoc eſt, in Decretali, quæ incipit, Etſi Judæos: titulo de Judæis, vel ſic *Extra, de Judæis, etſi Judæos*: hoc eſt, extra decretum Gratiani, tit. *de Judæis* in C. quod incipit *Et ſi Judæos*.

## §. III.

### *De ſexto Decretalium, & aliis duobus.*

4. SExtus liber Decretalium dividitur etiam in quinque libros & in eoſdem Titulos, ſed pauciores, nam quinque libri Decretalium continent

Titu-

Titulos 185. Sextus vero decretalium habet titulos 77. Dictus eſt ſextus quia editus eſt poſt quinque libros Decretalium à Bonifacio VIII. an. 1298. Continentur autem hoc tomo variæ epiſtolæ Pontificum, nempe ipſius Bonifacii, aliorúmque, qui inter Gregorium IX. Decretalium collectorem, & ipſum Bonifacium VIII. floruerant, & duorum Conciliorum Lugdunenſium ſub Innocentio IV. & Gregor. X. celebratorum ſanctiones. Dividitur is liber ſextus in quinque libros, & hi in titulos, & capita, quæ ſic allegantur. Ex. gr. Cap. *Alma Mater, de ſententia excommunicationis in ſexto.* Additur ly *in ſexto.* Ne cap. ſexti hujus libri confundantur cum capitulis Decretalium Gregorii IX.

6. Clementinæ ſic dictæ fuêre, quòd contineant Conſtitutiones Clementis V. qui Bonifacio prædicto ſucceſſit, ſeu potiùs Conſtitutiones Viennenſis Concilii ſub hoc Clemen-

te

te celebrati. Has quidem idem Clemens colligi curaverat. Quia verò morte præventus publicare non potuerat, publicavit Joan. XX. dictus XXII. ejus ſucceſſor immediatus an. 1317. Hæc etiam pars juris dividitur in quinque libros, & in eoſdem Titulos; ſed pauciores; nam ſolum continet titulos 53. qui ſic allegantur. Ex.gr. *Clem. Si furioſus, de Homicidio*, hoc eſt, in Clementina, quæ incipit *ſi furioſus*. titulo *De Homicidio*.

7. Extravagantes demum dicitur quinta pars Juris Canonici, quia ejus Conſtitutiones ſunt extra priores quatuor partes, ex quibus totum Jus Canonicum conflatum fuerat. Dividitur autem iſta collectio in duas partes, quarum prima continet viginti Conſtitutiones prædicti Joannis XXII. Secunda pars continet alias extravagantes in quinque libros digeſtas, quæ dicuntur comunes, quia ſunt diverſorum Pontificum. Illæ partis primæ ſic citantur: ex. gr. *Extravag.*

*Cùm*

*Cùm ad Sacroſanctæ, de Sentent. excommunicat. Joannis XXII.* Aliæ verò ſecundæ partis ita citantur. ex. gr. *Extravag. ſuper Gentes, de conſuetudine.*]

## §. III.

### *De horum Librorum auctoritate & Interpretibus.*

7. QUamvis autem ex his quinque partibus conflatum ſit Corpus Juris Canonici; non omnium tamen par eſt auctoritas, nam quatuor poſteriores partes continent decreta Pontificum, vel Conciliorum habentium vim condendi leges pro tota Eccleſia; decretum verò Gratiani continet ex parte SS. Patrum ſententias, qui ùt tales non habuerunt hanc poteſtatem. Præterquam quòd priores illas quatuor partes compilari juſſerunt, & confirmârunt ipſi Pontifices, ſiquidem Decretales approbavit Gregorius IX. ſextum Decretalium Bonifacius VIII. Clementinas Clemens V. & Joannes XXII. Decretum autem

Gratiani non fuit ſic approbatum: non enim illum tanquam librum legalem authenticavit Gregorius XIII. Paſtorali, quæ ei præfixa legitur, ſed ſolùm edi curavit & juſſit, eo modo expurgatum, ut in poſterum ſine mendis, quæ in ipſum irrepſerant, legi poſſet.

8. In totum Gratiani decretum ſcripſerunt ſequentes DD. Guido de Bayſio dictus vulgo Archidiac. Bononienſis; Ægidius de Bellamera; Dominicus dictus à S. Geminiano, qui & ideo citari ſolet Geminianus; Joan. à Turrecremata Cardin. S. Sixti; Jo. Antonius à S. Gregorio, alio nomine, Præpoſitus Mediolanenſis, & Card. Alexandrinus; Ludovicus Bologninus &c.

9. In quinque libros Decretalium ſcripsêre Innocentius IV., Henricus aliàs Cardin. Oſtienſis; Joannes Andreæ Bononienſis; Henricus Boich Leonenſis; Ægidius Bellamera; Baldus de Ubaldis Peruſinus; Franciſcus de

de Accoltis Aretinus; Antonius de Butrio Bononienſis; Goffredus Tranenſis; Petrus de Ancharano Bononienſis; Jo. de Imola; Fortunius Garzias Hiſpanus; Andreas Barbatia Siculus; Philippus Decius Mediolanen.; Felinus Sandeus, Canonicus Ferrarienſis, Auguſtinus Bertius Bononienſis &c.

10. In ſextum Decretalium ſcripſêre Archidiaconus, Joan. Andreæ; Jo. Monachus; Petrus de Ancharano; Geminianus; Gulielmus à Monte Lauduno; Jacobus Fontanus; Philippus Francus Peruſinus; Ludovicus Gomezius &c.

11. In librum Clementinarum ſcripſêre Bonifacius de Vitalinis; Petrus de Ancharano; Jo. de Imola; Abbas Panormitanus; Franciſcus de Zabarellis Cardinalis; Gulielmus à Monte Laudano, Andreas Barbatia; Jacobus Fontanus &c.

12. Alii verò ſcripſêre in certos aliquot Juris Canonici Titulos, nem-

pe DidacusCovarr. ſcripſit Epitomen in totum quartum librum Decretalium. In eundem ſcripſit Jo. Antonius Præpoſ. Mediolanenſis. Philippus Francus, & Jo. Ant. Præpoſ. Mediol. in Titulum de Apellationibus. Antonius Burgos Hiſpanus in Tit. de Emptione, & Venditione. Andreas Alciatus in Titulum de Præſcriptionibus, & in Tit. de Jure Jurando Didacus Covarruvias in C. Alma Mater. De ſent. Excomm. in 6. & in Clement. Si furioſius de Homicidio, & in Regulam, Peccatum, de reg. jur. in 6. & in Regulam, poſſeſſor malæ Fidei de regulis juris in 6. Marianus Sozinus Senior in Tit. de Judiciis, & in Tit. de foro comp. & in Tit. de libelli oblat. & in alios quoſdam Tit. Petrus Paulus Pariſius in Tit. de Probationibus, de Teſtibus, de Exceptionibus, de Præſcriptionibus.

13. Ut autem Juſtinianus legibus civilibus contentis in Digeſtis, Codice,

dice; & Authenticis, ſeu Novellis præmitti voluit Inſtituta, quæ ſunt velut Iſagoge, ſeu Introductio ad ſtudium Juris civilis, & quædam ſumma eorum quæ ſunt ſcitu magis neceſſaria circa jus civile, ita Inſtitutores Juris Canonici ſuas præmittere ſolent Inſtitutiones Canonicas ſuámque Synopſim lectionibus ordinariis, quas deinde habent circa partem aliquam, ſeu Titulum prædictarum Decretalium. Hæc autem, ut optimè fecit Lancellottus ſecutus methodum inſtitutorum Juſtiniani, dividi optimè ſolet in quatuor libros, quorum primus poſt præambulam diſput. de jure canonico, agit de Perſonis Eccleſiaſticis. Secundus de Rebus. Tertius de Actionibus & Judiciis. Quartus de Criminibus & Pœnis.

*Diſc.* Quoniam feciſti paulo ante mentionem librorum continentium Jus Civile, nempe Digeſtorum, Codicum &c. velim hìc obiter aliquam eorum notitiam mihi præbeas.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

14. *Mag.* Faciam breviſſimè, ne extrra chorum ſaltare videar. Igitur jus civile quoad libros pertinet, in quibus continetur, dividitur in tres partes, quarum prima coſtat tribus digeſtis, nempe Vetere, Informatiato, & Novo. Digeſtum vetus continet viginti tres libros; Infortiatum quatuordecim; Novum duodecim. Hæc prima pars continet Reſponſa veterum Juriſconſultorum, quæ Imperatorum nutu, & voluntate, legis auctoritatem obtinuerunt.

Secunda Pars Juris Civilis dicitur Codex, qui continet novem libros, in quibus habentur conſtitutiones, & Reſcripta Imperatorum.

Tertia Pars dicitur Volumen, quod quatuor partibus conſtat, nempe Inſtitutionibus Juſtiniani Imperatoris; tribus libris Codicis, videlicet decimo, undecimo, & duodecimo; (nam priores novem continet Codex) Authenticis Conſtitutioni-

bus

bus ejuſdem Juſtiniani Imperatoris, & libro Feudorum.

Allegatur Jus Civile ſex modis pro ſex ejus partibus : Primo modo ſic: *L. ſi quis ex argentariis*, §. 1. *ff de edendo*: & ſignificatur, eam legem eſſe in aliquo ex quinquaginta libris Digeſtorum, hoc eſt, in lege, quæ incipit : *Si quis ex argentariis*. §. 1. *in titulo de edendo*. Secundo modo ſic: *L. Minimè. C. de Epiſc. audient.* hoc eſt in lege, cujus initium eſt, *Minimè. in Codice, titulo de Epiſcopali audientia.* Tertio modo ſic: *C. de Agricolis & Cenſitis. L. Cùm ſcimus. lib. 11.* Et ſignificatur, eam legem non eſſe in novem libris Codicis, ſed in uno ex tribus libris, qui habentur in volumine. Quarto modo ſic : *Authent. de Lenon.* §. *Sancimus.* hoc eſt, *in Authent. de Lenonibus.* §. *Sancimus.* Quinto modo ſic : *In lib. Feud. de prohib. Feud. alien. c. vel L. Quoniam.* hoc eſt, *In capite vel lege*, quæ incipit: *Quoniam, in libro Feudorum, Titulo de prohibita Feud. alienatione.* Sexto modo ſic : *Inſtit. de Rer.*

*Diviſ. §. Item ea.* hoc eſt, *In Inſtitutionibus Juſtiniani. Titulo de rerum diviſione. §. Item ea.* Sed redeamus ad Inſtitutum noſtrum.

# TYROCINII THEOLOGICI PARS V.

*In qua agitur de Theologia Morali.*

I.

FAcultati Canonicæ affinis eſt & contermina Theologia Moralis; Quin hæc ſine illa perfecta & abſoluta eſſe non poteſt. Magna enim pars obligationum, quibus Fideles arctantur, ex Legibus Eccleſiaſticis conſurgit. Has ergo callere neceſſe eſt, qui humanas omnes obligationes (quod eſt officium Theologi moralis) expendit. Hinc autem intelligis, qui ſint hujus Theologiæ Tractatus. Cùm enim omnis

nis

nis obligatio à Lege deſcendat, quæ per dictamen conſcientiæ proponi debet, ac violari graviter aut leviter poteſt; cúmque omnis obligatio ad aliquam virtutem pertineat, ex cujus defectu fit homo vitioſus; ſequitur, quòd hæc Theologia agat de prædictis omnibus, ordine tamen vario; pro varietate Doctorum.

2. Probatiſſimi ex illis hunc ordinem ſervant. Agunt 1. de Conſcientia, ſcilicet rectâ & erroneâ, probabili, dubia, & ſcrupuloſa; 2. de peccatis & de conditionibus ad peccandum requiſitis, vel ab eo excuſantibus, ac proinde de voluntario, de libero, de metu juſto & injuſto; gravi & levi; de ignorantia antecedente, comitante, conſequente; excuſante, non excuſante; de peccato mortali, veniali, perſonali, originali. 3. De Legibus in genere, earúmque cauſis, & effectibus; de legibus in ſpecie, ùt de lege pœnali; de lege non ſcripta, ſeu conſuetudine, de lege concedente privi-

legium, adeóque de Privilegio. Inde de ceſſatione, interpretatione, ac diſpenſatione legum. 4. de Fide, ejúſque obligatione, de infidelitate, hæreſi, Apoſtaſia, pœnis ſpiritualibus ac temporalibus hæreticorum. 5. De virtute Spei, ejúsque contrariis vitiis, præſumptione, deſperatione, &c. 6. De charitate in Deum & proximum, ejúsque effectibus ſeu actibus, ùt de eleemoſyna, correctione fraterna, &c. ac de vitiis ei contrariis, odio, invidia, diſcordia, ſchiſmate, bello injuſto, rixa, duello, ſcandalo. 7. De Religione, ejúsque actibus, nempe de oratione, de Horis Canonicis, de adoratione, de Sacrificio, de obſervatione feſtorum, de Primitiis, de oblationibus, de reverentia debita locis & perſonis ſacris, eorúmque immunitate; de beneficiis Eccleſiaſticis, de eorum proviſione, acquiſitione, collatione, oneribus, utilitatibus, vacatione, amiſſione, diviſione, exſtructione, erectione, unione. De Juramen-

ramento & voto, eorúmque obligatione, relaxatione, irritatione, commutatione. De adjuratione. De Statu Religioſo, ejúsque ſuſceptione, profeſſione, relaxatione, privilegiis. Rurſùs de vitiis Religioni oppoſitis, idololatria, ſuperſtitione, divinatione, vana obſervantia, maleficio, tentatione Dei, blaſphemia, ſacrilegio, ſimonia. 8. De Ritibus ſeu ſignis maximè religioſis, præcipuísque noſtræ Religionis characteribus, nempe de Sacramentis in genere & in ſpecie; & præſertim de Sacroſancta Euchariſtia, de Sacramento Pœnitentiæ, de ſuffragiis, Indulgentiis, Jubilæo, & Bulla Cruciatæ; de Cenſuris, de Sacramento Ordinis, irregularitate, depoſitione, degradatione; ac demùm de Sacramento Matrimonii, ejúsque impedimentis, horúmque diſpenſatione. 9. De Prudentia, Fortitudine, ac temperantia, ubi de Abſtinentia, Jejunio, Sobrietate, Caſtitate, Virginitate, Humilitate, Studioſitate, Manſuetu-

dine, Clementia, Modeſtia, vitiíſque oppoſitis, nempe gula, ebrietate, luxuria, ſuperbia, præſumptione, vana gloria, ambitione, vilitate, ſeu nimia ſui abjectione, curioſitate, ira, crudelitate, immodeſtia in cultu, ornatúque. 10. De Juſtitia in genere, de Jure, dominio, uſufructu, uſu, habitatione, emphytheuſi, feudo, ſervitute, poſſeſſione, præſcriptione. 11. De Juſtitia commutativa in pactis & contractibus, ubi de contractibus in genere. 12. De contractibus in ſpecie, de promiſſione, donatione, commodato, depoſito, mutuo, (ubi de uſura) emptione, cenſu, cambio, &c.

3. Hi ſunt Theologiæ Moralis Tractatus, quos aut univerſos, aut pleroſque, aut aliquos apud innumeros Scriptores reperies; non omnes tamen legendos, multò minùs audiendos, probandóſque. Neque enim deſunt, qui non ſatis cautè ſcripſerunt, quíque in definiendis legum, virtutúmque obligationibus aut laxiores

xiores fuêre aut rigidiores. Utrorumque exceſſus caſtigavêre Pontifices, dum eorum libros vel propoſitiones damnârunt, quas certè propoſitiones, quia ſæpiſſimè in libris etiam non damnatis reperies, nôſſe debes omninò, ne venenum incautus bibas ipſe, aliíſque non ſine gravi ipſorum, tuóque damno propines. Has autem damnatas propoſitiones apud multos, qui eas collegêre, reperies.

*Diſc.* Reperiam quidem: Sed quando alia multa afferre non recusâſti, ut quæ ſunt ſcitu magis utilia, vel neceſſaria, haberem in iſto Tyrocinio collecta; has etiam, ùt ſpero, Propoſitiones afferre non gravaberis.

4. *Mag.* In hoc etiam tibi morem geram.

*Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. Anno 1665.*

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia afferens, Bullam Cænæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, aliorúmque criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſs. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitâſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante. Hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructûs, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre, neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmatâ danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum

vitæ

vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit Præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius

mo-

modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certè imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit Pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

22. Non eſt contra Juſtitiam Bene-

ficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, niſi ex contemptu, vel inobedientiâ hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, adeóque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si

27. Si liber ſit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

*Aliæ Propoſitiones ab eodem Alex. damnatæ, anno* 1666.

29. In die jejunii qui ſæpiùs modicum quid comedit etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non

32. Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia, in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas anteà Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cū peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſensûs ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ reo

cor-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

correcto, ejúsque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

*Propoſitiones ab Innocentio XI. damnatæ Anno 1679.*

1. Non eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſimus.

8. Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ùt malum patris, ſed ùt bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

18. Si

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ùt Deo & Fidei glorioſum conſulo, tacere ùt peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat, ſupernaturalem.

21. Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitiâ ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilíve motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia,

propter quam velit aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis vel ſolus, vel coram aliis ſive interrogatus, ſive propriâ ſpontè, ſive recreationis causâ, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare jura-

juramentum quod de mandato Regio à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſunt furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fætûs, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

